SUMMARIUM
HISTORIAE
RECENTIORIS EUROPAEAE,

A

DETECTIONE AMERICAE

AD

REVOLUTIONEM GALLICAM:

PER TEMPORUM INTERVALLA

DIGESTUM

A

JOSEPHO PÉCZELY,

HIST. ET LIT. GR. AC LAT. IN COLLEG. REF. DEBREC. PROF. P. O. I. I. COMITATUUM BIHAR, SZABÓLTS, BEREG, ET UNG TAB. JUD. ASSESS.

Tomus I.

Periodus Prima et Secunda

a fine Sec. XV. ad finem Sec. XVII.

Postque diem longam — — —
Redditus Orbis erat. OVID.

DEBRECINI

EXCUDIT FRANCISCUS TÓTH TYPOGR.

A. MDCCCXXVII.

J. III. 26 Kr. 8 pole.

148562

Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuaeque reipublicae, quod imitere, capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.

LIVIUS.

Si les hommes paroissent plus grands dans l'antiquité, ce n'est pas que les temps modernes ne puissent citer des noms, qui soutiennent le parallèle avec eux; mais, c'est que le défaut général de culture rendoit leur prééminence plus sensible, et que les progrès de l'esprit humain dans les trois derniers siècles rendent la supériorité du génie moins frappante.

ANCILLON.

MAGYAR KIRÁLYI TISZA ISTVÁN-TUDOMÁNYEGYETEM DEBRECEN

EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO

ANTONIO E COMITIBUS CZIRÁKY

DE CZIRÁK ET DIENESFALVA,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI R. H. A. COMMENDATORI, EQUITI AURATO, S. C. ET R. A. MAJESTATIS CAMERARIO, ET ACTUALI INTIMO STATUS, SIMUL EXC. CONSILII R. L. H. CONSILIARIO, AD EXC. TABULAM SEPTEMVIR. COJUDICI, PER I. REGNUM HUNG. TAVERNICORUM REGALIUM MAGISTRO, ET I. COMITATUS ALBENSIS SUPREMO COMITI etc. etc.

in publicum observantiae ac sincerae venerationis documentum

humillime

D. D.

Auctor.

Excellentissime Domine!

Offero TIBI munus Excellentissime Domine! perexiguum illud quidem, si aut ex sua, aut ex TUA dignitate spectetur, non tamen, ut opinor, ingratum omnino TIBI futurum, quippe profectum ab homine TUI observantissimo, et, propter innumeras, quibus excellis, animi, ingenii et doctrinae dotes, dudum in TUI admirationem pertracto. TUAS virtutes, TUA plurima in utramque rempublicam merita, posteritati rectius depraedicanda, nec, si vellem, possem recensere, et, si possem, facere tamen hoc et TUA modestia, et meus me prohiberet pudor. Illud interim silentio praeterire non possum, vel inter tot, tam arduas, tam multiplices gravissimorum munerum publicorum curas, sic TE delicias TUAS, artium liberalium studia amplexatum fuisse, ut non ad legendum modo, sed ad scribendum quoque de rebus maximis subsecivi semper aliquid temporis conferres. Quo facto quantum famae, ac aeternitati nominis TUI, tantundem literis, quibus nova ex TUIS lucubrationibus affusa lux, consuluisti; atque una hoc etiam consecutus es, ut viri docti non jam patrocinio solum, quod insigne semper fuit, sed exemplo quoque dehinc TUO, ad au-

dendum, aemulandamque, quam TU summam consensu omnium adeptus es, laudem excitarentur. En ego in eodem fere studiorum genere versatus, quae TU, vitae et rerum humanarum magistram, in primis magni facere solitus, quaeque scribendo etiam augere, atque ornare dignatus es, has ingenii et laboris mei primitias, studii et venerationis, qua TUAS ego praeclaras in omni genere virtutes ex animo prosequor, documentum qualecunque, TIBI, ut doctissimo, ita aequissimo harum rerum judici, grata mente do, dico, atque dedico. Accipe munusculum, quali offertur animo; patere nomen meum abs TE illustrari, et tenui per se opellae, ex nominis TUI commendatione, pretium majus adjungi. Deus O. M. rebus omnibus florentissimum quam diutissime TE literis et patriae servet, omnesque cogitationes et actiones TUAS perpetuo fortunet.

Dabam Debrecini die 1-a Jan. 1827.

Excellentissimo Nomini TUO

addictissimus

Josephus Péczely.

PRAEFATIO.

Sisto Tibi L. B. totam quasi Europae recentioris imaginem in brevi tabella expressam. In qua ne forte erres dijudicanda, consilium scribentis, antequam de opere statuas, paucis accipe. Propositum mihi non erat, enarrare, quidquid recentiori aevo pace belloque in Europa gestum, eo minus singulas singulorum *Statuum* res persequi: verum deligere primum ex omni memoria, atque ex singulorum *Statuum* historiis ea, quae in parando, augendo, vel deminuendo imperio, in regendis ac decernendis populorum sortibus, in moderando denique universo Orbe Europaeo, et mutatâ tantisper rerum formâ, partes habuisse praecipuas, re quaesita, ac saepe mecum volutata, deprehendi; tum haec singula, hinc inde cum selectu depromta, ita inter se conjugere ac colligare, ita per intervalla temporum, ordine continuo, naturaeque rerum quam convenientissimo, deducere, integrum ut opus efficiant; in hoc ipso autem sic versari, ne aut multiplicatus rerum in tam exiguo libello enarrandarum numerus festinationem mihi, etiam majora narranti, injiciat, simul et unitati operis, claritatique officiat; aut nimia paucitas, cognoscendi cupidis, imperfectam et mancam quodammodo Historiae cognitionem pariat. Ac liber quidem, usibus licet adolescentium auditorum proxime destinatus, ita de industria a me adornatus est, ut maturiori etiam aetati non ad legendum modo ac cog-

noscendum, sed ad delectandum quoque suppeteret copia. Inde quamvis multa omisi, multa, in publicis institutionibus uberius explicanda, extremo tantum digito et strictim velut attigi, ne, latius si evagarer, quantum moles libri, tantum ediscendi ejusdem, ac, intra praescripti temporis angustias, publice pervolutandi, juventuti vero modicis facultatibus instructae, etiam comparandi, cresceret difficultas: illud vel imprimis tamen curandum mihi duxi, ut quaecunque essent fere alicujus momenti, et hoc scripto comprehensa, ea omnia, sine ulteriori mea, alienive cujuscunque auctoris ope, vel ex tenui hoc libello meo rite intelligi possent, ac cognosci. Id quo assequerer facilius, recedendum mihi a recepta ratione ac consvetudine Historicorum in nonnullis judicavi: quae, si propius inspicere, et cum alienis conferre libuerit, habitura apud Te spero L. B.! aut perspicuitatis, aut brevitatis, pleraque commendationem. Res Hungaricas, quarum et separatum studium, et trita manibus omnium, accurata, patrioque sermone instituta descriptio habetur, interserere pluribus vel propterea nolui, ne volumen libri, praeter necessitatem, augerem.

In elaborando usus sum lingva latina, qua lectiones publicae, e quibus natum opus, institutae: non quasi non multo mihi facilius ac expeditius, atque idem illud etiam privatim aliquanto utilius erat futurum, vernacula quam aliena lingva loqui, in re praesertim nova, et coelo Latino magnam partem incognita; sed quia juventutis educationi meae concreditae rationibus consulendum ante omnia arbitrarer: cui, praeter Historiam ¡Universalem, praestantissimis Romanae et Graecae Eloquentiae exemplaribus, meo

ductu, evolvendis, et, quoad fieri posset, imitando exprimendis occupatae, duplex libelli dos, latine si scriberem, videbatur futura. Sermo ut esset purus, castus, et ad veterum Classicorum elegantiam, quos dicendi mihi magistros et exempla ab initio proposueram, quam proxime accedens, summa quidem scribenti mihi cura fuit, fieri tamen non potuit, quin nova subinde, deficientibus antiquis, vocabula adhiberem, ut sunt: *secularisare*, pro: *res usui sacro destinatas ad civiles, vel profanos usus convertere; Systema Europaeum*, pro: *Respublica Europaea*, vel *totius Europae membrorum compages; Status*, appellatione generaliori, pro: *quibuscunque rebuspublicis, imperiis, regnis, civitatibus; millio*, pro: *decies centena millia;* et pleraeque recentiorum dignitatum ac honorum appellationes, ut *Admiralis*, pro: *navalis militiae imperator*, aut *praefectus classis; Secretarius*, pro: *a secretis epistolis, vel consiliis*, et quae sunt ejus generis plura: quibus si alia ex veteri Latio repetita substituere vellem, aut ingrata nimis ac longa circumscriptione utendum, aut ambiguitatis et obscuritatis vitio laborandum mihi intelligebam.

In narrando, non solum ut fide et aperte, sed etiam ut ponderi rerum, tenendisque voluptate quadam juvenilibus ingeniis accommodate, cuncta exponerem, spectavi. Inde toties interserta hominum, qui virtutibus aut vitiis eminuerunt, plenior etiam fortassis, quam pro mensurâ libri, descriptio; inde cupiditatum humanarum castigatio, et malorum, quae inde orta sunt, loco suo apposita commemoratio. Quibus hoc me consecuturum speravi, ut his velut illecebris capta juventus et legendi minus detrectet laborem, et ad laudatae virtutis studium multo impellatur

vehementius. Longiores passim periodos qui incusabunt, quod et obscuritatis non nihil pariant interdum, et attentum plerumque lectorem requirant: compendii factum illud sciant causa, ne, singula dum rerum gestarum momenta, consilia, eventus, singulis complecterer periodis, lumini forsan orationis aliquid, brevitati certe, cui non una de causa studendum mihi erat, parum consulerem. Sed neque ad ullam earum, quae sunt longissimae periodorum mearum, adhaesurum quemquam facile putem, si modo animum attendat, et lingvam intelligat. Citationibus, quod multi non ad faciendam fidem, sed sui potius ostentandi causa faciunt, paginas aut margines onerare, non magis existimavi necessarium, et conveniens, quam, exstructo aedificio, tabulatum et adminicula, quibus inter aedificandum usus sis, relinquere ac servare. At in rebus tamen vel dubiis et controversis, vel uberiori adhuc cognitione dignis, rationes et auctores meos in ipsa rerum serie allegare non neglexi. In reliquis, etiam me tacente, intelligens lector, rivulos sectatus sim, an fontes ipsos adierim? pulchre judicabit.

Atque haec sunt L. B. quae de suscepti operis, institutique mei ratione habui praemittenda. Nunc, si Tibi videtur, lege, fave, et peccatis ignosce.

Argumenta Capitum.

Cap. I. Historiae Europaeae recentioris notio, definitio, in suas partes divisio. Totius operis, rerumque in eo enarrandarum summa.

Cap. II. Quis rerum publicarum in Europa Meridionali status, exeunte Seculo XV-o?

Cap. III. Italia ad finem Seculi XV-i summa votorum et artis politicae Europaeorum, contentionum item materia. Status Italici primarii.

Cap. IV. Carolus VIII, regiam in Gallia potestatem adeptus; consilium occupandae Neapoleos ab eo susceptum; imperium Italiae cito partum, citius amissum.

Cap. V. Ludovici XII-i de occupando Mediolano, Neapolique armis repetenda, molimina irrita.

Cap. VI. Julius II-us. Liga Cameracensis, et Liga Sancta. Mors Ludovici XII-i, et Ferdinandi Catholici.

Cap. VII. Franciscus I-us. Prima belli fortuna in Italia. Pugna Marinianensis. Mediolanum imperio Gallico per vim et arma adjunctum.

Cap. VIII. Mutatio rerum obitu Ferdinandi Catholici in Europa facta. Nimiae Caroli opes, ac potentia; inde impendens Europae periculum.

Cap. IX. Francisci et Caroli armis de principatu in Europa decernentium vires inter se conferendae ac ponderandae. Principis utriusque ingenium, opportunitas belli gerendi.

Cap. X. Discidia animorum unde inter Carolum et Franciscum enata? quibus rebus confirmata? Bellum primum. Pugna ad Ticinum. Pax Madridensis.

Cap. XI. Bellum secundum. Pax Cameracensis.

Cap. XII. Turcae terra marique Europae graves. Salus a Francisco in foedere, et amicitia Solimanni II-i quaesita.

Cap. XIII. Expeditiones Caroli Africanae.

Cap. XIV. Bellum tertium inter Carolum et Franciscum, induciis Nizzae in 10 annos initis compositum.

Cap. XV. Bellum quartum. Pax Crespiacensis.
Cap. XVI. Diuturnae inter Carolum et Franciscum contentionis quis fructus?
Cap. XVII. Caussae, occasio, origo, et progressus Reformationis Sacrorum. Comitia Vormatiae, Spirae, et Augustae habita.
Cap. XVIII. Foedus et Bellum Smalcaldicum. Mauritius religionis et libertatis ex proditore vindex. Transactio Passaviensis. Pax religiosa Augustana.
Cap. XIX. Religio in Helvetia a Zwinglio et Calvino felici cum successu emendata.
Cap. XX. Dominationis Pontificiae inter Anglos occasus; dura nihilominus Reformatae religionis sub Henrico VIII-o initia; Eduardi VI-i aequum et utile Reformationi Sacrae regimen; Mariae Catholicae ingenium; acerbum et inexpiabile in Protestantes odium. Religio Reformata jus civitatis tandem, et principatum apud Britannos adepta.
Cap. XXI. Reformationis ambitus et effectus. Nova imperii Pontificii praesidia, Ordo Jesu, et Concilium Tridentinum.
Cap. XXII. Caroli adversa postremo tempore fortuna; imperii inde, vitaeque tandem taedium.
Cap. XXIII. Quid in universum de rerum in Belgio conversione sub Philippo II-o facta observandum?
Cap. XXIV. Status Belgicae ante Philippum II-um; turbarum sub eo initium; Compromissum; Albae in Belgium adventus.
Cap. XXV. Inaudita Albani crudelitas; fuga et caedes Belgarum; spes omnis in Gvilielmo Arausionensi reposita; ejus consilia; Requesensii praefectura, mors; Foedus Gandavense.
Cap. XXVI. Johannis Austriaci, et Alexandri Parmensis molimina; Unio Trajectina; Gvilielmi caedes; novum inde orientis reipublicae discrimen; Mauritius pacator ac liberator patriae; Induciae Duodecennes.
Cap. XXVII. Philippi II-i in Hispania, Elisabethae in Anglia regimen; rationes, et fortuna utriusque in gerenda domi forisque republica; irarum et belli caussae; certaminis eventus. Mors Philippi; mors Elisabethae.
Cap. XXVIII. Turbae intestinae post mortem Henrici II-i in Gallia insecutae; earum religio speciosa

magis, quam vera caussa. Principes adversarum partium; Catharinae Mediceae ingenium. Conspiratio Renaudiana; mors Francisci II-i.

Cap. XXIX. Belli civilis in Gallia sub Carolo IX-o initium. Edictum Ambosianum. Bis repetita bella, Foedere ad Fanum S. Germani male sopita.

Cap. XXX. Laniena S. Bartholomaei; ortum hinc bellum; Caroli IX-i miserabilis mors, morte ipsâ miserabilior causa mortis.

Cap. XXXI. Henricus III ignaviae foedisque voluptatibus deditus, crebrescentium in Gallia tumultuum caussa; Liga Sancta et Sedecimviralis; Fratrum Gvisiorum, et mox Henrici ipsius caedes.

Cap. XXXII. Henrici IV-i in profligando civili bello fortuna; ad religionem R. Catholicam transitus. Pacata domi forisque respublica. Edictum Nannetense. Pax ad Vervinos.

Cap. XXXIII. Pacatum Ferdinandi I-i et Maximiliani II-i in Germania, turbulentum ob Turcas in Hungaria imperium.

Cap. XXXIV. Mutatio rerum in Europa Septentrionali ineunte Seculo XVI-o facta.

Cap. XXXV. Christiani II-i inaudita crudelitas; Gustavus Wasa vindex atque assertor libertatis Svecicae. Reformatio Sacrorum in Sveciam et Daniam introducta.

Cap. XXXVI. Quis ineunte et adulto Seculo XVI-o rerum status in Polonia, Borussia, et Russia?

Cap. XXXVII. Livonia Statibus Septentrionalibus contentionum et belli prima materia. Diutini certaminis eventus.

Cap. XXXVIII. Stirpis Rurikiae masculae in Russia; Jagellonicae masculae itidem in Polonia interitus; filum Successionis, in Gente Gustaviana, apud Svecos interruptum.

Cap. XXXIX. Gallia post pacem ad Vervinos. Sullii ingenium, in administranda republica rationes, successus. Henrici IV-i, in ipso maximarum rerum molimine, fatum triste, ac violentum.

Cap. XL. Quis rerum status in Europa Meridionali, in Gallia nominatim, Hispania, Italia, Hollandia, Anglia, et Germania, proxime ante bellum tricennale Germanicum.

Cap. XLI. Initium belli tricennalis Germanici in Bohemia; Friderici fuga et proscriptio; irrita Brunsvi-

censis et Mansfeldii constantia; Ferdinandus II triumphatae cervicibus imminens Germaniae.

Cap. XLII. Danus oppressae dominatu Ferdinandi II Germaniae superveniens, proditione suorum debellatus et armis hostium. Pax Lubeccensis.

Cap. XLIII. Edictum Restitutionis. Gustavi Adolphi in Germaniam adventus, victoriae, mors.

Cap. XLIV. Svecorum, Regi suo, et virtus et fortuna superstes. Oxenstierna. Funestus Wallensteinii exitus. Res Svecica, proelio ad Nordlingam repente inclinata, Gallicis subsidiis denuo erecta. Bernhardi Vinariensis et Banneri obitus.

Cap. XLV. Principum in reconcilianda pace studia. Conventus Hamburgensis. Armorum Svecicorum sub Torstensohnio et Wrangelio, Gallicorum sub Turennio et Condeo successus. Pax Westphalica.

Cap. XLVI. Gallia, moderatore rerum Richelio, domi pacata, ac communita, foris aucta. Richelii et Mazarinii ingenium, in gubernanda republica rationes.

Cap. XLVII. Hispania domi, bellique, sub Philippo IV-o labefactata; Olivaresii virtutes et vitia, consiliorum, quae ceperat, eventus. Pax Monasterii cum Belgis Foederatis inita.

Cap. XLVIII. Austriae et Regnorum Orientalium status, durante bello tricennali Germanico.

Cap. XLIX. Caroli I-i regis Angliae natura et indoles; turbarum in Anglia et Scotia caussae atque initium; Trium Parlamentorum repentina dissolutio; Parlamentum vulgo Magnum; Straffordii supplicium; conspiratio Hibernica; crimen Perduellionis quinque *Communibus* a rege intentatum.

Cap. L. Belli inter Carolum regem et Parlamentum Anglicum exordia, progressus; Independentium origo, vera notio; Olivierus Cromwellus; Scotorum perfidia, sera poenitentia; Cromwelli et sociorum, oppresso Parlamento, foeda dominatio; admissum in regem nefas.

Cap. LI. Regni nomen in Anglia morte Caroli abrogatum; Hibernorum et Scotorum irriti ad restaurandum illud conatus. Cromwellus pessimis quaesitum, bonis artibus exercet imperium. Edictum Navigationis. Respublica conditori suo non diu superstes. Regnum Domui Stuartae restitutum.

Cap. LII. Turbae Gallicae, vulgo Funditorum. Adversarum partium consilia, duces; excitatum ab his bellum. Mazarinii et regiorum fuga, fugam secutus triumphus. Belli cum Hispano finis exoptatus. Pax Pyrenaea. Mors Mazarinii.

Cap. LIII. Imperii Hispanorum in Portugallia occasus; regnum Domui Bragantinae delatum; Belli cum Hispano et Batavis exitus.

Cap. LIV. Forma Civitatis apud Belgas Foederatos post mortem Wilhelmi II-i mutata; Johannes de Witt caput ac moderator Reipublicae.

Cap. LV. Ludovicus XIV morte Mazarinii ipse gubernare rempublicam aggressus; ejus ingenium exordia regni auspicatissima, Colberto maximam partem debita; prima cum Pontifice et Hispanis jurgia; allegatum ab eo jus Devolutionis; rapidi armorum in Belgio Hispanico progressus, sed mox retardati Foedere Triplici; necessitas inde pacis cum Hispano Aquisgrani ineundae.

Cap. LVI. Ludovici XIV-i in Belgas Foederatos odium, vindicta; summa rerum extremo in discrimine Gvilielmo III-o tradita, salusque inde Reipublicae quaesita. Funestus fratrum Wittiorum casus. Armorum inter Status Europaeos contra Ludovicum juncta societas; certaminis eventus. Pax Neomagensis, et ad Fanum S. Germani.

Cap. LVII. Ludovici XIV-i post pacem Neomagensem cum opibus crescens habendi ac dominandi cupido. Camerae Reunionis. Induciae Vicennales. Bello repetita vindicta de Genuensibus, et praedonibus Africanis. Mors Colberti. Edicti Nannetensis revocatio. Graves ac repetitae cum Innocentio XI-o contentiones de Jure Regaliae et Asyli.

Cap. LVIII. Ludovicus XIV Induciarum vicennalium, et pacis publicae turbator; Principum Europaeorum sumta adversus eum arma communia, justiora quam feliciora. Pax Ryswickensis.

Cap. LIX. Caroli II Angliae Regis inimica reipublicae consilia. Anglorum in tuenda libertate constantia. Jusjurandum Test; Decretum Habeas Corpus. Factionum Tories et Whigs origo.

Cap. LX. Jacobi II-i apud Anglos impotens dominatio; inde secutum Domus Stuartae exitium. Guilielmus III Angliae, una et totius Europae libertatis acer-

rimus vindex; ejus ingenium, in constituenda et administranda republica laudes. Commune imperium Anglis utilius an Hollandis?

Cap. LXI. Caroli II-i stirpis Austriacae ultimi in Hispania imperium.

Cap. LXII. Imperium Leopoldi I-i felix et gloriosum; Hungaria et Transilvania haereditas Austriae facta; Germania metu Gallorum ac Turcarum liberata.

Cap. LXIII. Russia interitu Theodori I-i civilibus discordiis et exterorum armis lacerata; imperio tandem potita cognata domus Rurikiae Romanow; laeta novi imperii initia.

Cap. LXIV. Bellum Successionale Sveco-Polonicum. Gustavi Adolphi et Caroli X-i in gerendo bello virtus ac fortuna prope singularis. Electoris Brandenburgiae Friderici Gvilielmi Polonorum Dominatu sese liberantis calliditas. Carolus X-us in ipso subjugandae Daniae conatu morte interceptus Pax Olivensis et Havniensis.

Cap. LXV. Mutata forma reipublicae apud Danos, regnante Friderico III-o. Mutationis ejus origo, auctores, laetus exitus

Cap. LXVI. Turbae rebellione Cosacorum Chmielnizkio duce concitatae; nati hinc non simplicis belli eventus.

Cap. LXVII. Joh. Casimiri regum Jagellonicorum in stirpe feminea ultimi excessus. Foedum Wisnowickii, gloriosius aliquanto Szobieskii regnum, nec tamen per omnia fortunatum.

Cap. LXVIII. Caroli XI-i adversa bello, prospera domi fortuna; infinitum in suos, sed salutare reipublicae, imperium.

Cap. LXIX. Petrus I-us summâ rerum solus in Russia potitus.

CAPUT I.

Historiae Europaeae recentioris notio, definitio, in suas partes divisio. Totius operis, rerumque in eo enarrandarum summa.

Nomine Historiae Europaeae recentioris complectimur Historiam trium proxime praeteritorum Seculorum, exorsi a fine Seculi XV. pertexturi ad finem Seculi XVIII. seu ad Revolutionem Gallicam, ubi initium vulgo Historiae temporum recentissimorum statuitur.

Ad finem vergens Seculum XV. tot nominibus memorabile est, ut mirum non sit, Historicos ibidem parietem quasi intergerinum inter Historiam aevi medii et recentioris duxisse. Nam, ne inventam artem Typographicam (circa a. 1440.) renatasque literas, et ejus generis plura, in Historia artium, et ingeniorum, quam Statuum potiora, commemoremus:

1. Turcae, populus moribus, consvetudine, civilibus institutis, religioneque a ceteris Europaeis omnibus diversus, hac tempestate sedem, ac domicilium imperii in Europa fixerunt, expugnata Constantinopoli a. 1453.

2. Usus pulveris pyrii*) in dies singulos

*) Chinensibus maturius aliquanto, Europeis certe populis vix ante medium Sec. XIV. cogniti, et multo post, quam a

latius patens, arsque belli gerendi eo immutata, immutarunt sensim veterem Rerumpublicarum statum: opportunitate iis majori oblata non belli modo vel inferendi, vel illatum propulsandi; verum etiam cives suos opibus, et viribus praevalentes in officio continendi, indomitos olim, dum castella inexpugnabilia, dum manu fortissimus quisque esset invictissimus, et par saepe universis ordinibus.

3. America detecta per Christophorum Columbum Genuensem a. 1492. aditusque in Indiam Orientalem, a Vasco Gama Portugallo, mari Indico patefactus a. 1498. Quod utrumque tanti est momenti, ut si nihil aliud accessisset, sola novam orbi terrarum faciem inducere potuisse videantur. Praeterquamquod enim negotiationem, terra ut plurimum antea exercitam, in maritimam subito converterunt, commerciumque a Statibus mari mediterraneo adjacentibus, ad alios propius occidentem vergentes necessario derivarunt, quo ipso non potuit non quantum his accedere, tantundem illis decedere virium: novum profecto immensumque ingenio, et solertiae humanae spatium aperuisse; agriculturam, opificia, mercaturam, universumque cultum civilem, certissima, et firmissima Rerumpublicarum praesidia,

---

Bertholdo Schwarz circa a. 1354. inventus creditur, in bello adversus Genuenses, a Venetis primum adhiberi coepti a. 1380.

incredibilem in modum promovisse, non immerito censentur.

Spatium omne, quod percurrendum suscepimus, Historiae, paribus seculorum intervallis distingvendum, totumque opus in tres fere aequales inter se partes, seu Periodos dividendum duximus, partim ob insecutam tantisper rerum in Europa mutationem, partim, quia memoriam discentium, legendique, et, quae lecta sunt, animo recolendi negotium adjuvari non nihil ista operis divisione sperabamus.

In singulis Periodis, suas iterum, pro temporum, et rei natura, subdivisiones habituris, bipartito Systemate Europaeo, res *Meridiei* primum, easque propius videlicet ad hanc, in qua vivimus, Europae partem pertinentes, uberius; tum *Septentrionis*, paulo brevius, separatim sumus persecuturi: appellatione Meridiei comprehensis etiam Statibus solem occidentem propius, quam Meridiem spectantibus; Septentrioni autem attributis, Russia, Svecia, Dania (cum Norvegia) Polonia, et Borussia.

Partitione ista et perspicuitati optime a se consultum, et naturae rerum factum quam convenientissime arbitratur auctor. Licet enim Status Septentrionales rebus Meridianorum inmixti subinde fuerint: tamen ad Borussiam usque sub Friderico Magno inter Status Euro-

pae primarios in medio enisam, separatae Septentrioni, separatae Meridiei utilitates, separata ambobus pericula erant; res autem utrisque communes, non ante bellum septenne Borussicum, divisamque Poloniam esse coeperunt. Ibi propositum auctori junctas amborum res junctim persequendi, et omnem inde Europam una quasi comprehensione complectendi initium facere.

PERIODUS PRIMA.

A DETECTA AMERICA AD FINEM SECULI XVI.

1492—1598.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
VIRG.

PARS PRIOR

EUROPA MERIDIONALIS

A Caroli VIII. in Italiam irruptione (qua ceteris Europae Meridionalis Statibus, signum quasi vires suas in hoste infirmiori, inque vicem experiundi, datum) ad Philippi II. Dictaturaeque Hispanicae occasum; Orientem contra Galliae sub Henrico Magno dominatum: 1492—1598.

AETAS I. 1492—1515.

Bella Italica, a Carolo VIII. et Ludovico XII. avidius, quam consultius, gesta facilem Hispa-

no victoriam, materiamque crescendi amplissimam praebent.

AETAS II. 1515—1556.

Carolo Carolo V. ad thronum Hispaniae evecto, Gallis praevalent non obscure Hispani. Bellis contra Franciscum I. ex sententia gestis, novum denuo virium, et auctoritatis incrementum Hispaniae accedit, potentissimae dehinc, et orbis terrarum principi.

Reformatio Sacrorum a Luthero coepta campum, spatiumque ingenio, alas solertiae humanae addit, eadem quacunque propagata, populis Principibusque jugum Hierarchiae, orbi otium excutit. Ceterum minus probatam Carolo nec Franciscus fovit, ignarus forte, quantum in ea adversus Carolum praesidii, quantae inessent opportunitates.

AETAS III. 1556—1598.

Hispania pace Cameracensi, sub initium regiminis Philippi II. ad summum dignitatis, ac potentiae suae fastigium evecta; Philippus arbiter Europae. Bella intestina, quibus aemula flagrat Gallia, apparatus ingentes, non ad Belgas solum adfligendos, sed ad subjugandam simul Angliam, exstirpandamque penitus Reformationem, a Philippo II. facti, aeternam Hispaniae redditura videntur dominationem: at eadem, adversum Hispano, improvisum cunctis eventum sortita, calamitatis ejus-

dem, exitiique caussae exsistunt. Nervi omnes dominationis Hispanicae incisi, conjunctis Wilhelmi Arausionensis, Henrici Magni, et Elisabethae viribus. Philippus II. regnum, quod florentissimum acceperat, prostratum, ac eversum moriens relinquit.

PARS POSTERIOR.

EUROPA SEPTENTRIONALIS.

A dissoluta Unione Calmariensi: ad bellum de successione Svecica exortum; thronumque in Russia, Domus Rurikiae interitu, vacuefactum. Stricte ab a. 1523 *ad a.* 1598.

AETAS I. 1523—1553.

Dissoluta *Unione Calmariensi*, qua tria regna Septentrionalia, (Dania, Svecia, Norvegia) in unius nomen, non corpus imperii olim coaluerant; et Reformatione, iisdem fere de causis, quae illam trium regnorum divisionem pepererant, exspectatione omnium celerius propagata: facies omnis rerum repente in Septentrione immutatur ineunte Seculo XVI. Ceterum toto hoc tempore Status, nulla communi re collisi ac inter se commissi, ad unum omnes, sola rerum domesticarum cura occupantur.

AETAS II. 1553—1591.

Armis, et 30 fere annorum bello de Livonia decertatur, quam Status quique, viribus ma-

xime confisi, occupandam sibi proponunt. Fortuna secuta potissimum Svecos, qui altius ab eo tempore in dies emergunt.

PERIODUS SECUNDA.

A FINE SECULI XVI. AD FINEM SECULI XVII. 1598.—1697.

Certatum totis concussi viribus orbis.
LUCAN.

PARS PRIOR.

EUROPA MERIDIONALIS.

Ab excessu Philippi II: ad pacem Ryswickensem, exstinctumque Domus Austriacae in Hispania regimen. 1598—1697.

AETAS I. 1598—1618.

Gallia, postquam intestino defuncta periculo, Hispaniae crescens ruinis, jamque sui secura, de novandis per universam Europam rebus cogitans, morte Henrici Magni, non modo magnis excidit ausis, sed in pristinos civilium turbarum fluctus repente revoluta. Ab Austria, duum stirpium unione renata, novum iterum Europae impendet discrimen. — In plerisque Statibus turbatum, maxime in Germania — sparsa quoquoversus futurae cladis semina.

AETAS II. 1618—1648.

Bello Tricennali Germanico conflagrat Europa. Fridericus V. Protestantes minus, quam par erat, fideles adjutores nactus, ereptam Ferdinando II. Bohemiam, imo suas etiam ditiones haereditarias amittit. Ferdinandus, triumphata Bohemia, servitutem perculsae Germaniae impositurus videtur, frustra adversum nitentibus Mansfeldio, et Christiano Brunsvicensi. Actus I-us Belli — Laboranti Imperio supervenit Dania, irrito tamen conatu. Gustavus Adolphus Dano felicior, forti dextera vindicat Germaniam, frangit opes Austriae, suffragante Richelio. Actus II-us — Clade Svecorum renascens Austriae fortuna, et vetus simultas, immittunt praelio Galliam. Actus III-us — Pax Westphalica metu Domus Austriacae exonerat Germaniam, adstruit, firmatque imperium Galliae. Mazarinius.

AETAS. III. 1648—1660.

Angli cum Rege suo, secumque ipsi discordes, a cura alienarum rerum cura propiore sui diutius avocati, Cromwello summa rerum potito, e malis belli civilis sensim emergentes, auctoritatem coram Europa ingentem sibi conciliant: iidem, restituta Domo Stuarta, aliquantum in cursu suo retardantur. — Portugalli, auxiliantibus Gallis, jugum Hispanicum, sub Philippo II-o acceptum, exuunt. — Galli,

Ludovico XIV-o ad regni gubernacula admoto, servitutem Europae parant, dominatum sibi.

AETAS IV. 1660—1697.

Ludovicus

Ludovicus XIV-us opibus cura ac diligentia Colberti collectis, ad exagitandam, oprimendamque, si posset, Europam abutitur. Hispanis primum arma in Belgio illata, sed retardata *Triplici* inter Hollandiam, Angliam, et Sveciam *Foedere*, insecutaque illud Pace Aquisgranensi a. 1668. De Hollandis inde, triplicis utpote foederis nuperi auctoribus, repetita bello vindicta. Illi, virtute Gvilielmi III. succurrentiumque Hispanorum, Imperatoris, et Imperii auxilio, servati quidem, et instanti exitio quamvis aegre erepti: belli nihilominus gloria, cum pacis condendae (Neomagi 1679.) arbitrio penes Ludovicum. Post pacem Neomagensem, qua fastigium Gallicae dominationi impositum, liberius etiam grassari cupiente Ludovico: Europa, libertatem suam in discrimen devocatam videns, armis communibus hostem communem depellere a cervicibus statuit. Grave hinc bellum, et anceps. Gallia plus aliquanto cladium infert, quam accipit; Ryswicki nihilominus aequi bonique studiosior: Hispaniae (vergente ibi ad interitum Domus Austriacae regimine) jam tum inhians, et, quo eam facilius consequi posset, Statuum Europaeorum sponte captans benevolentiam.

PARS POSTERIOR.

EUROPA SEPTENTRIONALIS.

Ab interitu Domus Rurikiae: ad Petrum Magnum, et Carolum XII. armis de principatu Septentrionis decertantes. 1598—1697.

AETAS I. 1598—1660.

Armis ubique late, et longe contenditur. Fax bello subministrata, successione Russica, et Svecica. Illa 20 fere; haec 50, et amplius annorum certamine diremta, ac terminata. Dania et Svecia bello etiam tricennali Germanico immixtae, quam illa infelici, tam haec eventu felici. Gustavus Adolphus. Caroli X. initia extremis laetiora; imminens ab eo toti Europae Septentrionali periculum, morte ejusdem propulsatum. Pax Olivensis, et Havniensis.

AETAS II. 1660—1697.

Domi turbatae in plerisque Statibus res; foris bellatum, nullum tamen commune bellum. Commutata apud Danos, Sub Friderico III. Reipublicae gubernatio, idque bono regni singulari.

PERIODUS TERTIA.

A FINE SECULI XVII. AD FINEM FERE SECULI XVIII. 1697—1789.

Europa — — Ponderibus librata suis.
OVID.

PARS PRIOR.

EUROPA MERIDIONALIS.

Ab exstincto Domus Austriacae in Hispania imperio: ad Revolutionem Gallicam. 1697—1789.

AETAS I. 1697—1713.

Successio Hispanica. Res magnae molis ac ponderis. Principem alioquin potentem, in successionem vasti imperii venire unum, Statibus Europaeis periculi plenum; dividi imperium, Hispanis ignominiosum juxta ac damnosum. Ludovicus XIV diu obsidens Carolum II, fit tandem voti compos, nepoti Philippo Andegavensi (Anjou) delata successione Testamento Caroli. Renitentibus ceteris Statibus: itur ad arma. Marlborovius, et Eugenius fractam, ac profligatam paene evertunt Galliam. Pax Ultrajecti reconciliatur divisione Monarchiae Hispanicae. Gallia opinione quidem laetius ex tristi bello emersit; debili-

tata tamen, ac ita exhausta, ut nullum amplius sui terrorem facere posset. Regia dignitas confirmata Borussiae; parta Siciliae, mox cum Sardinia permutandae.

AETAS II. 1713—1740.

Hispania ambitioni reginae suae serviens, amissas pace Ultrajectina ditiones Italicas recuperare aggressa, male sopitos resuscitat ignes. Principum in foederibus inconstantia, donec residentibus odiis, pacati, ac inter se reconciliati Tractatu Definitivo Viennensi. Elisabetha Parmensis votorum ex parte compos, redditis per Austriam Neapoli, et Sicilia, sub conditione tamen, ne unquam regno Hispaniae adjungerentur. — Caroli VI Imperatoris, prole mascula destituti, *Sanctio Pragmatica*, de imperio cum foeminis communicando; impensi ad eam tuendam, ac stabiliendam labores.

AETAS III. 1740—1763.

Successio Austriaca. — Bellum septenne. — Mariae Theresiae amplissimam Patris sui haereditatem aditurae, litem, ac bellum inferunt Hispanus, Bavarus, et Saxo. Per occasionem arma sumta etiam a Borusso, et Gallo. Angli soli cum Sabaudo ad partes laborantis Austriae accedunt. Ope horum, sua constantia, Hungarorumque suorum spectata eo bello et fide et virtute, impendentem magna regina, quamquam non sine aliquo detrimento, discutit tamen tem-

pestatem. Pax Aquisgranesis. — Servata Ausria servat Europam, cujus compages omnis membrorum, avulso, quod validissimum erat, ruitura videbatur, ac dilapsura. Partium adversarum, Fridericus Silesiam, Hispani Parmam, et Placentiam, ab Austria traditas, Galli nullum prorsus belli fructum percipiunt. Angli, quorum opibus tanti moles belli potissimum sustentata, moderationem, ac imperium Europae, durante eo, consecuti. — *Bellum septenne*, superioribus omnibus gravius, atque atrocius. Borussia, quae paulo ante de imperio, ac exiguae terrae possessione cum Austria contenderat, nunc de vita, ac salute cum universa fere Europa dimicat. Gallia rationes ipsa suas ejurans, ac convellens, Austriae facta socia, atque armigera. Novos ea res terrores, nova pericula Reipublicae Europaeae portendit. Septentrio, intentiori, quam unquam antea, studio, rebus Meridiei implicitus. Provida futuri Anglia, cui bonum publicum privatim ut maxime usui, ita maxime curae est, bello maritimo jam alioquin cum Gallia suscepto, sola non reconciliata solum, sed foedere etiam juncta Borussiae. Fridericus saepe superatus, saepe profligatus, domo, patria ab hoste interclusus, rebus pene perditis, exitioque non semel imminente, inter flammam, et hostes expeditur, fortuna singulari, eminentiori virtute. Pax Hubertsburgen-

sis, et Parisina. Galli ignominiae, an cladis plus ex ancipiti praelio domos suas secum reportarint, incertum. Anglis partum imperium maris. Inter Status continentis terrae, facile omnium auctoritate principes Austria, et Borussia; his proximae Russia, et Gallia.

AETAS IV. 1763—1789.

Bellum hac tempestate nullum, nisi de successione Bavarica, et hoc in ipso ortu exstinctum. Pax 30 fere annorum continua, laetissimis artium liberalium, et omnis cultus humani incrementis, horumque usu, et abusu insignis. — Philosophia contemplationum diligentissima. Eruditi scriptis suis, in animos hominum, etiam vulgarium, atque illitteratorum influentes: horum in dirigenda publica opinione momentum. — Interitus Ordinis Jesu. — Voltaire, Rousseau. — Mala non pauca eradicata, at simul convulsa etiam, quae salutaria; violata, aut profanata, quae omni societati, generique humano sanctissima semper esse debeant. — Europa saniores sui defendendi, ac conservandi rationes paulisper adoptare visa, sensim, ut docuit eventus, ad multo deteriores revoluta. Quae enim hucdum ex partium potentiorum contentione, ac discordia laboravit, laboratura dehinc est gravius earundem concordia, atque conspiratione, infirmioribus proxime, postmodum sibi, deni-

que toti Europae, exitiosa. Nam posteaquam Politicum, ut vocant, Aequilibrium solido fundamento innixum; omnisque eo directa erat cura, ne praepotens ullum, grave ceteris imperium exsisteret: praecisâ bello crescendi materiâ, aliam Status singulos, augendi, et amplificandi regni viam ingredi oportuit. Conversi igitur ad sananda quisque sua ex bello diuturno vulnera, internamque reipublicae curam. Inde redituum publicorum, opum augendarum, constituendae, ac administrandae reipublicae ratio, et quaecunque ad eam pertinent, instituta civilia, examinari, voce et scriptis agitari liberius coepta. Novae Theoriae, novae contemplationes in medium proferri. Id firmissimum longe imperium credi, quod numero civium abundantissimum, limitibus infinitum. Hinc cupido plerisque proferendi imperii; hinc consilia inter tres Status potentissimos, Borussiam, Austriam, et Russiam, de dividendo Poloniae regno primum inita. Haud ita multo post Josephus II imperio suo adjungendam proponit Bavariam. Enimvero Fridericus, tum demum expergefactus, ac, quorsum dilatandi imperii studium illud evaderet, veritus, fortiter resistit: licet Josephus quovis pretio mutuam dissimulationem redempturus videretur. Intervallo temporis, Josepho, alia via rem eandem efficere aggresso: Fridericus pari iterum constantia vindicat Germaniae, suam, et

totius Europae libertatem, arctissime, ut rebatur, inter se conjunctas; mortuus idem (Frid. II.) impedire non potest, quominus mali — — — — — — contagio latius in dies singulos serpat, arsque omnis politica, in perniciosissimum sui amorem (egoismus) degeneret. Brevi tempore novum Turcis et Polonis exitium adparari videt Europa. — Non est praetereundum in historia hujus aevi, Angliae cum coloniis Americanis bellum. Nam praeterquamquod veterem conjunctionem, inter Europam, et Americam commutavit: Originem in Europa dedit armatae, ut dicunt Neutralitati, rei, quoad Status mercaturam mari facientes gravissimae; studium porro libertatis, satis jam ceteroquin in Europa suscitatum, multo validius inflammavit.

PARS POSTERIOR.

EUROPA SEPTENTRIONALIS

Ab initio regiminis Caroli XII. ad Revolutionem Gallicam. 1697—1789.

AETAS I. 1697—1721.

Aetas foecunda clarorum Principum — Bellum (vulgo Septentrionale Magnum) initio laetum, tristissimum dein Sveciae. Clades Caroli XII ad Pultavam. Russia Sveciae victrix, principatum Septentrionis sub Petro Magno adepta. Pax Niestadiensis.

AET.

AETAS II. 1721—1740.

Anna interpallatum obitu Petri Magni in res Europaeas influxum restituit Russiae — Ostermann, Münich — Borussia laetius in dies adolescit cura ac institutis Wilhelmi I-i: rebus interim in Svecia, ac Polonia, discordia procerum, et dominatu nobilium, senescentibus. Imperium Poloniae armis ab Augusto III, et Lescinskyo disputatum; certamini praeter Russos implicita etiam Austria, et Gallia; inde arrepta per Gallos belli Austriae in Italia inferendi occasio. Turcae bifariam sibi a Russis, et Austria illatum spe felicius componunt bellum.

AETAS III. 1740—1762.

Septentrio certaminibus Meridiei totus implicitus, et his paene plus, quam suis rebus occupatus. Statuum princeps Russia Austriae foederata, et pars magna Belli Septennis Borussici. Ceterum ut ingeniorum sic rerum sterilis aetas: nam Fridericus II. et bellum Septenne Borussicum Meridiei rectius accensentur. Proceres plus justo in aulis Principum potentes; inde discordiae et factiones domi. Foris bellum nullum nisi inter Sveciam et Russiam; in eo suparati Sveci Finniam omnem victoribus Russis cedere, et Adolpho Friderico e familia Ducum Holsatiae deferre re-

gnum coacti: ex qua oriundum Principem Petrum, sororis suae filium, Elisabetha successorem sibi in Russia paulo ante delegerat. Magni ea res momenti quoad universum Septentrionem, proxime autem quoad Domum cognatam in Dania imperitantem, ob veteres inter utramque stirpem simultates.

AETAS. IV. 1762—1789.

Aevum longe et personis, et rebus antecedenti illustrius. Catharina II-da Petri Magni in constituendo atque augendo imperio aemula, non immerito Semiramis Septentrionis appellata. Cum ea (1762) novus in Russia, inque universa Septentrionali Europa incipit rerum ordo. Sveciae et Poloniae pernicies instat: sed Svecia ab interitu tempestive revocata (1772) studio ac virtute Gustavi III; Polonia autem per id ipsum tempus discerpta, eoque jus sanctissimum possessionis, seu proprietatis, et illud *suum cuique*, cui pax orbis terrarum, salusque generis humani innititur, exemplo pessimo violatum, et, quae postmodum exstiterunt, rerumpublicarum perturbationes praeparatae quodammodo, ac maturatae.

PERIODUS PRIMA.

1492—1598.

PARS PRIOR.

EUROPA MERIDIONALIS.

A Caroli VIII. in Italiam irruptione, ad dominationis Hispanicae cum Philippo II. occasum. 1494—1598.

CAPUT II.

Quis Rerump. in Europa Meridionali status exeunte Seculo XV-to?

Quamvis Systema Europaeum Meridionale universos Status Europaeos ad Occidentem Meridiemque sitos ambitu suo comprehendat: in praecipuis tamen et primariis ejus membris numerari merentur nonnisi: Hispania, Gallia, Anglia, Monarchia Austriaca, Imperium Germanicum, Pontifex, et Porta Ottomannica. His, omnem rem Europaeam sustentantibus, et pondere suo librantibus, ceteri Status magis aut minus obnoxii, secundariorum locum, nomenque omnes tuentur. (Membra illa activa, haec passiva.)

1. Hispaniae Regnum, non inter Arabes solum et Christianos a 700. et amplius annis

divisum, sed ab ipsis quoque Christianis, in plura minora Regna discerptum, coalescit tandem, fitque in dies singulos, quo concordius, eo firmius. Initium magni operis factum ab inito inter Ferdinandum (ejus nominis regum Arragoniae V.) et Izabellam a. 1469 matrimonio, atque inde postmodum consecutâ, potentissimorum, Arragoniae (quo pertinebat etiam Sicilia et Sardinia) atque Castiliae Regnorum unione; coeptum opus deinceps perfectum Imperio Arabum Granadensi post multas clades destructo a. 1492. In cujus meriti gratiam Ferdinando regis Catholici nomen a Pontifice tributum, hodiedum regibus Hispaniae usitatum. Per id tempus foris quoque auctum imperium, multiplicatae opes, Americâ, sumptibus, et navibus Isabellae, per Christophorum Columbum (a. 1492) detectâ. Quibus rebus aditus Hispaniae ad summa omnia patefactus, nisi Tribunal Inquisitionis (instit. a. 1481), principumque dominandi libido retardassent impetum ac fregissent.

2. Gallia, e bellis civilibus, Anglicisque aegre tandem eluctata, sanatis, quae plurima bello acceperat, vulneribus, novas quotidie virium accessiones nacta, regnante Ludovico XI-o. Sub eo quantum adaucta regia, tantum deminuta tumultuantium procerum potestas, casu maxime, et interitu potentissimi Burguudiae Ducis, Caroli Audacis, qui in

ipso regni prope Rhenum erigendi apparatu caesus ad Nanceium a. 1477-o. Morte ejus Burgundia, mox, Caroli VIII. Ludovicum secuti, et Annae Brittanicae nuptiis, Brittania quoque Minor, bonis Coronae adjuncta; magnum utraque Regni et regiae potestatis incrementum. Quodsi jam cum Hispania conferas Galliam, spatio et circuitu regni hanc illâ inferiorem, viribus parem, situ et natura loci aliquanto etiam superiorem invenias.

3. In Anglia, turbata diutius Resp. in tranquilitatem pari felicitate redigi; potestas Regia confirmari, augerique coepta sub Henrico VII. Qui ipse e Domo Lancastrio-Tudorensi ortus, nuptiis sibi adjunctâ Elisabethâ Eduardi IV. Eboracensis filiâ, civile bellum, inter regnatricem domum Lancastriam et cognatam Eboracensem, de Regno susceptum, et ad internecionem fere amplius 60 annis gestum (ab insignibus Familiarum contendentium, *bellum rosae rubrae et albae* vulgo dici solitum) beneficio matrimonii sui felicissime composuit, tantaque arte regnavit, (ab a. 1485 ad annum 1509) ut sui temporis Salomo vocatus fuerit. Ceterum Scotiâ nondum adjunctâ, imperio Hiberniae incerto, classe nullâ, commercio terrae continentis, post amissas praeter Caletum ditiones Gallicas, fere omni intercluso: regnum viribus et Galliâ et Hispaniâ aliquanto inferius. Parlamentum, cujus tan-

ta hodie in rebus publicis auctoritas, constitutum quidem jam, et in duo Conclavia multo ante divisum, imperfectum tamen, langvidum, atque iners, at facile vividioris animae, utilissimarumque emendationum capax.

4. Monarchia Austriaca, possessionibus, quas habebat, plerisque vel discerptis, vel incertis, in speciem valida, revera infirma. Ditionibus antiquissimis in Helvetia (1276) adjunctum quidem, (Mariâ Burgundicâ, Caroli Audacis filiâ, Maximiliano nuptâ), Belgium: sed illud, praeterquamquod longius dissitum, moderatu difficilimum, et ad rem suam libertatemque attentissimum. Imperium Hungariae et Bohemiae, quanquam postulatum, flagitatumque, nondum tamen comparatum; et posteaquam partum (1527), minus firmum, quippe non delatum jure haereditario, sed totum *electioni* ac arbitrio populorum, qui regebantur, debitum. In Hungaria praeterea liberius regnaturo magnum impedimentum etiam Turcae, continui et acerrimi Regni competitores. Corona Imperatoria (quam in Bohemica seu Luxemburgica Familia diu haerentem, Albertus II. a. 1438. domui Austriacae restituit, continua deinceps et quasi haereditaria serie a Friderico III. posterisque ejus ac haeredibus possessam) plus splendoris quam virium dabat. Longe maximum dignitatis prae-

sidium spes certa rerum apud Hispanos propediem potiundi.

5. Imperium Germanicum, quod et Romanum, studiis divisum ac distractum, omnium in Europa Statuum extremo Sec. XV. turbulentissimum. Adeo nullum concordiae ac securitatis publicae praesidium, nullae leges, nulla instituta salutaria; jura incerta, ac fluxa omnia. Imperator, nisi forte habuerit potentiam aliis rebus collectam, potius primus inter pares, quam Dominus; Ordines (Electores, Duces, Civitates liberae, etc.) neque subditi, neque prorsus sui juris. Omnibus procax libertas. Celebrata Caroli IV. Bulla Aurea (1356) qua Juspublicum Germaniae quadamtenus contineri visum, nihil fere praeter ordinem ac ritum Imperatores eligendi comprehendebat. Fridericus III, cujus imperio bona pars Seculi XV. exacta, (1439—1492) placidus naturâ, sed simul iners, sui, quam publici commodi studiosior, Reip. perturbatae praesertim moderandae neutiquam par. Qui eum excepit, Maximilianus I. initio curam constituendo Imperio adjecit. Inter praeclara ejus citari nominatim merentur *Pax Publica* (Land-Friede), *Camera Imperialis* (Reichs-Gericht), universi Imperii in Circulos divisio, ad arcendas potentiorum injurias, conservandamque pacem, et administrandam remp. sapientissime sane ab eo instituta: sed brevi

alienarum rerum cura avocatus, neque alias propositorum satis tenax, mutavit consilium, inchoataque ac imperfecta omnia reliquit. Ita Germania diutius etiam non bene junctarum discors concordia rerum, et corpus mira plane ac absurda specie mansit, ex singulis membris solertissimis illis quidem ac vividissimis collectum, ipsum nihilominus exanime, ignaviâ ac inertiâ torpescens: donec Reformatione Sacrorum suscitatae vires, revocata anima, neque id, ob plurimas inde prodeuntes turbas, fausto satis omine. At bono Germaniae singulari, perspectum hoc mature, persvasumque Statibus Europaeis: nullam sibi esse a Germania sejunctam salutem. Id firmissimum longe praesidium Imperio per se debili, et praeter dissensionem civium suorum, crebris etiam vicinorum insultibus obnoxio.

6. Italia, vide Caput sequens.

7. Porta Ottomannica, post occupatum Imperium Orientale, proferendis imperii terminis, et domandis per vim exteris nationibus unice intenta, ad summam amplitudinem dignitatemque progressa ineunte Sec. XVI. In Matthia Corvino, Heroe et Principe sui temporis facile omnium praestantissimo, non Hungaria solum, irruentes Turcas plurimum hucdum remorata, decus suum, praesidiumque ultimum, sed et totus orbis Christianus

fortissimum adversus barbaros propugnaculum amisit a. 1490. Solimannus II (1520—1566.) copiis, pedestribus imprimis, praestantissimis ac exercitatissimis, classe instructissima, et hac parto Maris Mediterranei, orarumque adjacentium imperio, terror universae Europae. Periculum Pontifices Romani, unitis Christianorum Principum viribus arceri ab Europa volebant, flagitabantque saepius; sed nec valuit auctoritas, nec, si valuisset, effici id potuisset post junctam inter Turcas et Gallos mutuam foederis amicitiaeque societatem. Qua conjuntione, multiplicatis nexibus, id, quod vetabat ante natura, effecit ars politica, ut Turcae, quamvis diversum genere, dissimileque, membrum certe ac pars Systematis Europaei evaderent.

Ex reliquis Europae Statibus, quorum non tantae in moderanda re Europaea partes:

Portugalli, (quibus haec tempora felicissima, et vere aurea, sub gloriosissimis Regibus Johanne II. et Emmanuele 1481—1495—1521) adserto sibi amplissimo Americae et Asiae commercio, nulli rei, praeterquam navigationi ac detegendis novi orbis partibus vacabant;

Helvetii, invictae ad hunc diem fortitudinis, milites aliquamdiu vicinorum Statuum conductitii, mox alieni certaminis spectatores otiosi.

AETAS I. 1494—1515.

Bella Gallorum Italica sub Carolo VIII. et Lud. XII.

CAPUT III.

Italia ad finem Seculi XV. summa Votorum et artis politicae Europaeorum, contentionum item materia. Status Italici primarii.

Extremo Seculo XV. reddita terris die, Status Europaei, qui refectas inprimis vires suas, pristinamque amplitudinem revocatam sensere, Italiam omnes domandam, ac occupandam sibi proposuerunt. Caussae, quae ad audendum eos impellerent, incitarentque, plures erant. Italia, ex quo tempore ab Imperatoribus Germaniae minus frequenter adiri coepta est, tranquillatis rebus, magisque in dies sui arbitrii, brevi rebus omnibus florentissima, artiumque liberalium, et politioris omnis humanitatis officina evasit. Hoc cum per se esset efficacissimum ad tentandam, ac provocandam finitimorum avaritiam, accessit aliud nihilo levius, ex opportunitate rei gerendae, irritamentum. Si quidem res Italica ex pluribus fere aequalibus, sui juris, nulli communi imperio, ac moderamini obnoxiis, nec mutuo, aut fraterni amoris, aut foederum vinculo junctis, sed utilitate, odio, simultateque divisis Statibus collecta, haud facile hosti externo restitura videretur. Quod unicum mali reme-

dium futurum, quodque maxime optandum erat, ut ex hac Statuum multitudine exsisteret unus, qui opibus auctoritateque ceteris omnibus praecellens, insidiantis Galliae et Hispaniae moliminibus vallum sufficiens objiceret: id fieri per Pontifices potentiae suae nimium veritos non licebat. Ita nemine impediente, amoto metu, Italia tota ludibrium, ac praeda potentiorum facta. Primas, ac praecipuas partes hac tempestate agebant, ad Septentrionem Mediolanum, et Venetiae; in medio Florentia, ac Pontifex; ad meridiem Neapolis.

1. Mediolanum, cui propter amoenitatem, fertilitatemque soli prae reliqua Italia Status Europaei inhiabant, olim Respublica, postmodum (1395) Ducatus (Feudum imperii Germanici) ac primum quidem sub domo Visconti-na, dein interitu hujus (1450), sub domo Sfortia, parebat hoc tempore Johanni Galeacio, Francisci Sfortiae (qui primus suae gentis, virtute sibi, civiumque consensu principatum pepererat) nepoti ignavo. Penes hunc nomen tantum imperii, summa regni (praeter Mediolanum proprie ita dictum, Parmam quoque, Placentiam, et Genuam tum complexi) penes patruum, fraudulentissimum juxta ac violentissimum hominem, Ludovicum Maurum, qui nihil cupidius, quam novandarum in Italia rerum, tollendique Galeacii tempus exspectabat.

2. Veneti, natura loci, ad commercium mari faciendum, occidentemque orienti jungendum nati, asserto sibi mature, occasione expeditionum cruciatarum (1095—1270) maris Hadriatici, et mediterranei, orarumque adjacentium (Istriae, Dalmatiae, Epiri, Eubaeae, Spartae, Cretae, etc.) imperio, neque eo, in acerrima, ac ancipiti triginta et centum annorum (1250—1380) cum Genuensibus contentione, amisso, mox in terra etiam continenti Italiae, pluribus in dies urbibus, ac regionibus, in his Padua, Verona, Brixia, Tarvisio repente (1388—1452.) potiti, primum locum dignitatis in Italia obtinebant. Serius, Americâ detectâ, novoque a Portugallis in Indiam Orientalem itinere patefacto, magnum rei navalis detrimentum passi, arte et consilio pristinam gloriam tuiti, omnique cura, ac studio ad ampliandum in Italia imperium suum conversi sunt. Forma civitatis aristocratica; summa rerum penes Senatum, Familiasque Nobilium, et quidem a Ducatu (Principem Senatus Ducem Veneti dixerunt) Petri Gradenigo (1298) jure haereditatis.

3. Florentia, seu Toscana, et novam, et repente collectam auctoritatem tenebat, foris subjugatâ Pisâ (1407), domi admotis ad clavum reip. Mediceis. Qui mercaturâ faciendâ ad summas opes profecti, felicissime civitatem (1428—1492) non imperio, quod penes popu-

lum (Democratia) erat, sed sola auctoritate regebant. Hac adhuc arte patriam suam gubernabat Laurentius, Petri filius, Cosmi nepos, vir vere magnus, spectatâ et vitâ, et prudentiâ, pacis atque concordiae inter Status Italicos, dum vixit, vinculum, eoque nomine non civibus tantum suis, sed universae etiam Italiae carus; idem de bonis artibus in paucis optime meritus. Sed vero filius ejus Petrus (1492) dissimilis patri, nihil ad regendam remp. praeter nomen patrium secum attulit, inane ac viribus destitutum, ubi imperium non legibus, sed gratiae, atque virtutibus debeas. Ibi jacta discordiarum semina. Auxere malum Pisani, ad occasionem excutiendi jugi animis continuo intenti.

4. Duplex Pontificum Romanorum Imperium: *Civile* in Statum Ecclesiasticum ita dictum, seu *Patrimonium Petri; Spirituale* in totum orbem christianum. *Illud*, fundatum a Pipino (754), confirmatum atque imprimis, auctum a Carolo Magno (774) et Mathildi Hetruriae Domina (1077 et 1102), angusto semper spatio erat terminatum; neque id satis firmum, ob praepotentes, in urbibus, nobilium familias. *Hoc*, initio tenue, successu temporis ingens, et formidabile diu, fractum modo, magisque in dies inclinatum, parum admodum in futurum praesidii pollicebatur: illâ praestantiae, ac dignitatis opinione, quae sola fere hactenus vires,

auctoritatemque dabat, si non sublatâ, certe imminutâ; populis, Principibusque metu fulminis Pontificii exoneratis. Pontifices saepe suorum quam sacrae sedis utilitatis amíciores, et publico privatum praeferentes emolumentum. Cum multis aliis vitiis habuit hoc imprimis Pontifex ejus temporis Alexander VI. (1492—1503) natione Hispanus. Cui, (verba sunt Guicciardini probatissimi illorum temporum Catholici scriptoris) insatiabilis inerat avaritia, ambitio immoderata, et sitis ardentissima suos, qui non pauci erant, filios quoque jure quaque injuria evehendi.

5. Regnum Neapolitanum, a Sicilia, post ducentorum et amplius annorum sub Normannis (1059 Robertus Guiscardus) et Imperatoribus Svevicis*) (1193—1268) unionem, tristissimis Vesperis Siculis (1282) sub Carolo Andegavensi separatum, et a propriis Regibus, partim Andegavensibus, partim Dyrrachicis, aliquamdiu gubernatum, anno Seculi XV. 35-o iterum cum ea est unitum, sub Alphonso Arragonio. Morte Alphonsi (1458) divisum denuo imperium, Siciliâ et Arragoniâ ad Johannem II-um fratrem, Ferdinandi Catholici parentem; Neapoli ad filium ex illegitimo thoro susceptum Ferdinandum devolutis. Ferdinandus, et qui eum gentis suae exceperunt, omnes, Alphonsus II, Ferdinandus II, et Fri-

*) Hohenstaufen.

dericus, throno per Ferdinandum Catholicum anno 1501 privatus, inglorii, ignavi, civibusque suis exosi; populus Neapolitanus naturâ inconstans, ab omni labore, ac contentione alienus; regnum libidini ac dominationi Pontificum, ob ipsam viciniam, maxime obnoxium. Tenuium hae rerum caussae, haec futurarum auguria calamitatum.

CAPUT IV.

Carolus VIII-us regiam in Gallia potestatem adeptus; consilium occupandae Neapoleos ab eo susceptum; imperium Italiae cito partum, citius amissum.

Carolus VIII nondum 14 aetatis annum eggressus, regnum a Patre Ludovico accepit anno 1483, pacatum, ac potens; populum ex administratione Patris non quidem omnino laetum, ac contentum, Regibus tamen obedire doctum, et, postquam timere didicisset, facile bonis artibus regendum. Initia regni turbulenta, defectione Ducis Aurelianensis (Lud. XII). Qui summam reip, dum maturus imperio esset Carolus, non sibi, ut par erat, cum esset principum regii sangvinis natu maximus, sed Annae, Caroli sorori, commissam esse vehementer indignabatur. Armis ejus et conjuratorum oppressis, novus a Maximiliano metus: cui filiam Margaretham Carolus remisit, multo sibi ante desponsatam, et Parisiis educatam. Auxit injuriam nova sponsa Anna

Britannica, illo ipso tempore, Maximiliano callide per Carolum paerepta. Id vindicandum ratus Maximilianus, bellum summa vi moliebatur, exstinctum tamen in ipso apparatu, postquam Carolus Burgundiam et Artesiam, quas dotis nomine cum Margaretha acceperat, redditurum se spopondisset. Parto foris otio, rep. domi tranquillatâ, consilium Carolus occupandae Neapoleos, Turcarumque, si fortuna arriserit, Europa expellendorum suscipit.

Carolo jus antiquum à Domo Andegavensi in Neapolim, ardor more superiorum temporum bello inclarescendi fere incredibilis; populus Neapolitanus et semper alias novarum rerum studiosus, et nunc Regi suo Ferdinando, ob insatiabilem ejus avaritiam, dominandique libidinem, infensissimus; Italia omnis factionum, ac turbarum plena; inter Florentinos et Pisanos vetus simultas; Veneti Mediolano insidiantes; Pontifex in rem avidior, facile largitione et pretio in quamcunque partem impellendus; Ludovico Mauro Galeacium percellere aggresso, vel metu Ferdinandi Neapolitani, cujus neptem Galeacius duxerat, promta ac declarata multis rebus in Carolum voluntas. His totidem quasi facibus animo juvenili admotis, Carolus, magno exercitu collecto, qua proximum iter per Alpes, a. 1494 in Italiam venit; incredibili celeritate, aci-

acie, non signis collatis, occupat Florentiam, Romamque, partes Regis Neapolitani secutas. Florentia primum a Petro Mediceo sub ignominiosissimis, dein, ipso ob injuriam ejus rei e civitate pulso, aequioribus aliquanto, ab incolis, dedita conditionibus. Roma bis, fugâ prius Pontificis, post timore militum praesidiariorum prodita, in deditionem pariter accepta. Interea Ferdinandus Rex Neapoleos, rerum suarum incertus, primo imminentis periculi nuntio, desperato eventu, moritur. Qui illum excepit Alphonsus II, patri simillimus, secundis rebus insolens, in adversis timidus, invidiam suorum veritus, regnum, paucis elapsis mensibus, in filium adolescentem, fortuna meliori dignum, Ferdinandum transfert, ipse trepida fuga Siciliam petit. Carolus, his rebus Romam nuntiatis, postquam obsides victis imperasset, infesto agmine Neapolim contendit, victisque hostibus pene prius, quam manum conseruissent, urbem ingreditur, summa omnium laetitia. Rex frustra suos ad resistendum cohortatus, in Ischiam insulam Neapoli vicinam, non exspectato hostium adventu, exulatum profectus.

Imperium Neapoleos facilius partum, quam retentum. Carolus, postquam Neapoli pompa vere Imperatoria coronandum se curasset, rerum suarum securus, atque illius ipsius toties ante animo obversati, de expel-

lendis Turcis, restituendoque Imperio Graeco, propisiti sui oblitus, voluptatibus dedi, Italos contemnere, ac durius habere, terras occupatas adductis secum e Gallia dividere. Ita victis intolerabile jugum, reliquis metus, ne subjugati eadem omnia a Gallis patiantur. Protinus consilia de pellendis ex Italia Gallis inita, foedusque mox ictum inter Venetos, Pontificem, Ferdinandum Catholicum, et Maximilianum, auctore potissimum Ludovico Mauro. Qui, postquam sublato Galeacio, principatu potitus, in eoque etiam ab Imperatore Maximiliano confirmatus esset, Gallos in Italia regnare, minus suae dominationi tutum arbitratus, imperio hos, ac possessione Italiae deturbare constituit. Quod ubi sensit agi Carolus, non exspectandum ratus, dum universâ concitatâ Italiâ, repentino hostium incursu, reditu in Galliam intercluderetur, parte copiarum ad tutandam Neapolim relicta, cum reliquis ipse proficiscitur, et viam, qua venerat, repetit a. 1495. Jamque Fornovam usque (vicum Placentiae vicinum) nemine impediente processerat: ibi ingentem hostium multitudinem, prohibere conantem, gravi praelio vincit, suaque et militum virtute iter sibi in Galliam patefacit. Interea Ferdinandus Ischia reversus, et a suis cupidius etiam, quam desertus antea erat, exceptus, exercitu, quem Carolus Neapoli reliquerat, ope Hispa-

norum debellato, et ad deditionem compulso, regnum armis repetit, repetitum, non multo post, mortuus (1496. Oct.) patruo Friderico relinquit. Ita conatum Caroli de subjuganda Italia irritum omnino fortuna reddidit; nihilo tamen minus sequelae ejus exstitere longe gravissimae, neque eae ad ipsam tantum Italiam, sed ad universam etiam pertinentes Europam. Nam, praeterquam quod irritati Gallorum animi, novumque armis in Neapolim jus quaesitum: odium inter Status Italicos confirmatum; et, quod longe plurimum erat, Principibus Europaeis vires suas in Italia periclitandi cupiditas accensa.

Carolum ulciscendi sui, et eluendae superioris belli ignominiae studio flagrantem, in ipso novi belli apparatu, mors occupavit a. 1498. aetatis 28-o.

CAPUT V.

Ludovici XII-i de occupando Mediolano, Neapolique armis repetenda, molimina irrita.

In Carolo VIII-o exstincta stirps virilis senior Domus Valesiae, regnumque devolutum ad Ducem Aurelianensem Ludovicum XII. Caroli V. regis pronepotem. Primum annum regiminis ordinandae reipublicae, sapientibusque institutis beandae Rex optimus insumsit, tributa imminuit, cursum judiciorum expeditiorem reddidit, conjugem Johannam, quod

improlis esset, consentiente etiam Pontifice, dimisit, et ad secundas nuptias transiit cum Anna Britannica, Caroli vidua, non magis amore, quam rationibus politicis ductus: ne nimirum Britannia, bonis coronae nuper matrimonio inter Carolum et Annam adjuncta, ab iisdem avelleretur. Tum, rebus domi constitutis, et conciliatâ suorum sibi benevolentiâ, animum ad invadendam Italiam, occupandumque Mediolanum convertit: sibi id deberi contendens jure aviae suae Valentinae e Domo Viscontina, quae ibi ante medium Sec. XV. imperitaverat, oriundae. Icto igitur cum Pontifice Alexandro VI-o et Venetis foedere, magna manu irruit in Italiam, et minus viginti diebus occupat Mediolanum et Genuam a. 1499. Ludovicus Maurus, non exspectato hostium adventu, primum in Germaniam fugit, dein, odio Gallicae dominationis a suis revocatus, regnum ope Helvetiorum armis repetiit: sed brevi, destitutus ad Novariam ab Helvetiis, et a Gallis interceptus, in Galliamque deportatus, turbatae saepius Italiae, violataeque fidei poenas pependit, mortuus in custodia a. 1510.

Mediolano potitus, Neapolim Ludovicus adoriri, ac occupare statuit: sed obstabat timor Ferdinandi Catholici, cui propinqua cum Friderico Rege Neapolitano erat cognatio. Huic igitur, si in societatem foederis, et bel-

li accesserit, partem regni potiundi dimidiam promittit. Ferdinandus accipit conditionem libenter; et, quasi non satis esset armis adversus cognatum sibi Regem Neapoleos pugnare, dolo eundem ac fraude aggreditur. Celato enim, quod cum Gallis pepigerat, foedere, auxilium ei ultro offert, arces tutandas accipit. Galli interim, probato etiam Pontifici consilio, invadunt Neapolim; adventu quorum Hispani, missa simulatione, arma adversus ipsum Fridericum, cujus defendendi causa venerant, vertunt; Gallos in arces recipiunt, universumque regnum fide citius communibus armis occupant a. 1501. Fridericus, desperatis rebus, posteaquam dignitatem regiam abdicasset, in otium vitae privatae in Galliam secessit, ratus id, quod erat, honestius multo, tutiusque apud generosae indolis Ludovicum, quam apud fidei violatorem Ferdinandum, refugium sibi futurum.

Jam Neapolis praeda Gallorum ac Hispanorum facta, sed nondum bipartita erat. Ferdinando Apulia et Calabria, reliquum omne regni cum titulo regio Ludovico Regi ex pacto debebatur. De terra Capitanata et Basilicata (Daunia, et Lucania Veterum) in medio oritur quaestio, utroque eas sibi vindicante. Dum ea disceptatio tenet, Ferdinandus, de subigenda universa Neapoli jam tum cogitans, bellum et insidias clam Gallis parat.

Omnibus ad novum certamen apparatis, Consalvus Ferdinandi Dux, violata conventione, quam Ludovicus cum Philippo Austriaco, Ferdinandi genero, ad terminandam litem fecerat, Gallos imparatos opprimit, et cedere Neapoli cogit a. 1503. Bellum renovatum quidem a Ludovico, sed infeliciter gestum, proditione imprimis Ministri Amboisii, qui cetera Regi suo fidus, exercitum Gallicum, cum festinato opus esset, prope Romam retardavit, ut praesentia ejus attonitis Cardinalibus, qui tum morte Pii III. in eligendo novo Pontifice occupabantur, Pontificiam ipse dignitatem, quod tamen factum non est, consequi posset. Ita Neapolis tota juris Hispanorum facta, imperio eorundem paruit ad pacem usque Ultrajectinam a. 1713. Galli nihil praeter Mediolanum in Italia retinuerunt. Ludovicum Ferdinando utcunque reconciliavit Germana Foxia, sorore Ludovici genita, et Ferdinando Catholico nuptum data, in cujus gratiam Ludovicus, acceptis a Ferdinando decies centenis aureorum millibus, solenniter jure suo in Neapolim decessit a. 1505.

CAPUT VI.

Julius II. Liga Cameracensis, et Liga Sancta. Mors Ludovici XII, et Ferdinandi Catholici.

Alexander VI. Pontifex, dum sibi, filioque Caesari Borgiae opes, et principatum per

scelus quaerit, veneno, — — — — — — — — — — misere perit a. 1503. Qui ei sublectus, Pius III, grandis jam natu, et fractis viribus, anno eodem, 26-o Pontificatus sui die, repetente debitum natura, locum facit Julio II. origine Genuensi, magni sed ferocis ac turbulenti ingenii viro, ad ducendos potius exercitus, quam ad regendam Dei Ecclesiam nato. Hic, cum nullum modum imperii statueret, novis Italiam, iisque gravissimis involvit turbis. Duplex Pontifici propositum erat, exteros ex Italia pellere, suum imperium in Italia proferre. Vidit autem vir callidus, et dominandi cupidus: frustra exteros ex Italia ejici, nisi Venetorum, qui primas tum in Italia partes agebant, infringantur vires, debilitenturque. Quibus affligendis cum se parem futurum desperaret, aggressus est rem arduam, et tractatu difficillimam, exteros adversus indigenas Venetos in auxilium vocare, et, quorum eversas imprimis opes cupiebat, his materiam crescendi in praesens tempus ultro suppeditare, atque ita demum, fracta ac profligata potentissima Italiae civitate, *barbaris*, nam ita exteros appellare solebat, exitium per se ipsos parare. Occasionem igitur excitandi belli sedulo quaerenti, opportunam ipsi Veneti praebuere, occupatâ Romandiolâ, quam, superioribus annis Caesari Borgiae, Alexandri VI. filio per Lu-

dovicum XII-um donatam, post mortem Alexandri VI. Caesarisque Borgiae ob infanda scelera a cuncta Italia exagitati fugam, Julius II. imperio Sacrae Sedis adjungere cupiebat. Pontifex, Venetis postulatas possessiones cedere nolentibus, egit clam cum Ludovico XII, Ferdinando Catholico, et Maximiliano, eoque rem, ostentatione imprimis praedae potiundae perduxit, ut Principes hi, inimicissimi inter se, divisis et animis et utilitatibus, foedere adversus Venetos cum Pontifice jungerentur Cameraci in Hannonia a. 1508. Quod non prius bellum Venetis, periculumque conflatum fuerit, repetendum id a mutatione rerum in Hispania facta, a litibus nominatim, quae, post mortem Izabellae (1504), de regno Castiliae, (Castellae et Legionis) inter maritum Ferdinandum, et generum Philippum, cui successionem regni sui socrus testamento detulerat, enatae, morte demum Philippi a. 1506, amborum, Castiliae et Arragoniae, regnorum conjunctione terminatae sunt. Famâ foederis acceptâ, Veneti, quos consilium illud Julii de pellendis ex Italia exteris non latebat, diu fidem relatis non habuere: cum rationibus ipsius Pontificis adversari censerent, civitatem frangi, cujus unius opibus id, quod moliebatur, assecuturum se jure sperare posset. Re tandem certis indiciis cognita, ubi, quae prima cura erat, turbare con-

cordiam Foederatorum nequeunt, pugnae casum subire potius, quam foedis, ut postulabatur, conditionibus subscribere, statuunt; belloque, quod non jam evitari posse videbant, magnis animis se accingunt. A Ludovico XII-o plurimum sibi timebant, ad hujus igitur excipiendum impetum totis viribus convertuntur. Nihilo tamen minus congressi cum Gallis ad Abduam vicum (Gierra d' Adda), gravi praelio superantur a. 1509; et intra paucos dies, impressionem faciente etiam Pontifice, Romandiolamque armis obsidente, plerasque in terra continenti possessiones amittunt. Rebus tum desperatis, quod unum remedium mali supererat, Julium II. traditis, quas petebat, terris, sibi reconciliant a. 1510, et in Gallos, communem hostem, irritant.

Pontifex voti compos, mutato repente consilio, novi fit auctor foederis a. 1511. adversus socios et adjutores Gallos, quos ut plurimum semper oderat, ita etiam potissimum timebat. Initum illud initio inter Pontificem nonnisi, Ferdinandum Catholicum, Venetos, et Helvetios; serius in societatem pertracti etiam Henricus VIII. Rex Angliae, gener Ferdinandi Catholici, et Maximilianus Imperator. Foederi, quod imperii, et jurium Sacrae Sedis vindicandorum caussa initum videri cupiebat, foederis sancti, seu *Ligae Sanctae* nomen Pontifex attribuit. Conspirationis hujus

indignitate commotus Lud. XII, annuente etiam Maximiliano, qui nondum ad partes Pontificis transierat, ad Pontificem exemplo Concilii Constantiensis judicandum, exauctorandum, compescendosque dissolutos Aulae Romanae mores, concilium Pisas indicit. Ea re multo etiam vehementius irritatus Pontifex, in Concilio Lateranensi, quod Pisano opposuit, non Gallos tantum cum Rege Ludovico, totumque Concilium Pisanum, sed ipsam urbem Pisas, universamque remp. Florentinam diris devovet. Ingens ita accensum, idque ad internecionem susceptum videbatur bellum. Pontifex Sacro Ecclesiae fulmine, solitis antecessorum armis, non contentus, stringit gladium, exercituque cum Hispanis et Venetis conjuncto, Bononiam aggreditur: Helvetiis interim irruptionem in campos Mediolanenses facientibus. At Galli ductu celeberrimi Gastonis Foxii, cui *Fulmen Italiae* in Historia nomen, durissimo anni tempore, altissima nive iter impediente, per arma hostium, perque montium juga, incredibili virtute eluctati, posteaquam Helvetios summovissent, Bononiamque obsidione solvissent, bellum brevi in terras hostiles transferunt ineunte anno 1512. Jamque Venetis ad Brixiam (Brescia), foederatis Hispanis et Italis ad Ravennam gravi praelio superatis, prope erat, ut universam Italiam continenti impetu subigerent: quum

morte Foxii, dum victis audacius instaret, sparo eminus percussi, inclinatae repente res penitus iterum concidere. Ex quo intelligi potest, adolescentem ducem, utpote nondum 24 annos natum, formae elegantia, animi magnitudine, omnium suae aetatis longe principem, pluris, quam universum exercitum fuisse. Casu Foxii, hostes, redintegratis animis, ferociores ad pugnam reversi, Gallos clade sua attonitos, antequam spatium sui colligendi haberent, referre pedem, et bis victos cedere Italiâ cogunt. Inde Mediolanum ab Helvetiis occupatum, atque Maximiliano Sfortiae, Ludovici Mauri filio natu majori, redditum. Medicei, occasione adhuc primae Gallorum sub Carolo VIII. in Italiam irruptionis, exulatum Florentia ejecti, in pristinum imperium a Foederatis restituti, et in societatem foederis allecti; Navarra superior seu Hispanica Regi suo Johanni Albretto, Ludovici XII. socio, per Ferdinandum Cath. erepta; mox ipsa etiam Gallia armis hostium obsideri caepta, Henrico VIII. et Maximiliano Artesiam, Helvetiis Burgundiam ingressis. Cum ventum ita fere ad extrema, nec jam sisti posse videretur: mortuo opportune Julio II. (21. Febr. 1513.) periculum Ludovicus feliciter effugit. Leo X. placidioris vir ingenii, et a contentione alienus, Julium II. in Pontificatu secutus, in gratiam cum Ludovico rediit, postquam id, quod

petebat, ut Pisanum solveretur Concilium, obtinuisset. A reliquis hostibus pretio pax redemta; relictum nominatim Maximiliano Sfortiae Mediolani, Ferdinando Catholico Navarrae imperium; Helvetiis et Henrico VIII grandis pecunia soluta; atque insuper soror Henrici Maria anno insequenti 7. Aug. 1514. in matrimonium a Ludovico XII. ducta. Ita universas Gallia possessiones suas, superioribus annis multo sangvine in Italia quaesitas, amisit, memoria nonnisi earum et jure retento: quod antequam armis iterum prosequi potuisset Ludovicus XII, fato concessit 1. Jan. 1515, magno sui desiderio, nomineque *Justi*, et *Patris Patriae* apud universum populum relicto. Haud ita multo post debitum naturae solvit etiam Ferdinandus, hydrope exstinctus 23. Jan. 1516.

AETAS II. 1515—1556.

Considerationes Generales.

Clarior dehinc rerum ordo aperitur, et aetas, superiori, sive regendi, sive pugnandi artes spectentur, merito anteponenda. Potentissimi Principum, totiusque rei Europaeae moderatores Carolus V, Franciscus I, et Solimannus II, ducendorum exercituum non magis, quam pangendorum foederum periti. Nexus inde inter Status Europae primarios multiplicati, mutuaeque eorundem inter se rationes, vulgo

relationes exterae, accuratius defixae ac determinatae; ars politica, dubia ante et incerta, certiorem aliquanto formam adepta, et in viam, quae premenda in posterum esset, deducta, idque:

1. Longa inter Carolum V. et Franciscum I. de principatu contentione.

2. Reformatione Sacrorum per Lutherum institui coepta.

1. *Historia contentionis inter Carolum V. et Franciscum I.*

CAPUT VII.

Franciscus I. Prima belli fortuna in Italia. Pugna Marinianensis. Mediolanum imperio Gallico per vim et arma adjunctum.

Franciscus I. cognatum et socerum Ludovicum XII in regno secutus, ut erat Princeps ambitiosus, et gloriae belli artibus parandae cupidus, nihil antiquius habuit, quam Mediolanum, nuper amissum, et Maximiliano Sfortiae, ope Helvetiorum, restitutum, armis repetere. Bellum igitur summis viribus moliens, cum pecuniam unde sumeret, non haberet, svasu Cancellarii sui Duprat, aucto tribunalium regni numero, munia in iis Judicum venalia proponit, praesidium belli praesentis qualecunque, sed longe majus rei publicae, futuris temporibus, detrimentum, continuique inter Regem et Parlamenta causam certami-

nis. Omnibus ad bellum apparatis, et curâ gubernandae reip, dum ipse abesset, matri Ludovicae Sabaudae commissâ, in Italiam magno exercitu venit, pertractis prius ad suas partes Venetis et Genuensibus. Contra ea Dux Mediolani Helvetios et Pontificem Leonem X. sibi adjunxerat. Sed Franciscus, exercitu Pontificio facile victo, et ad deditionem compulso, mox etiam Helvetiis, quorum invicta ad eum diem ferebatur fortitudo, post atrocissimam bidui pugnam (13. 14. Sept. 1515.) ad Marinianum fusis, Mediolanum victor ingreditur. Maximilianus Sfortia, annuum sibi a Gallis stipendium (36,000 libr.) pactus, regno valedicit, et in Galliam concedit. Pontifex reconciliatus Francisco restituit Parmam et Placentiam: in gratiam cujus vicissim Franciscus invisam Pontificibus *Pragmaticam Sanctionem*, (1438. vid. Harduini A. Conc. T. VIII. p. 1949.) qua juribus, vulgo *Libertatibus Ecclesiae Gallicanae* egregie Seculo superiori prospectum erat, abrogari, novasque leges Sacrae Sedi aliquanto aequiores, quibus *Concordatorum* nomen, populo suo, multum licet indignanti, imponi passus est a. 1516. Cum Helvetiis *Pax* ita dicta *Perpetua* anno eodem inita; ab eoque tempore non minus constantes amicos Gallia Helvetios nacta, quam fortes antea adversarios experta erat. Ita confirmata Gallis Mediolani possessio, imperiumque in Italia stabi-

litum ac satis undique communitum videbatur: sed eventus docuit, satius multo ac consultius Gallis futurum fuisse, Mediolanum Maximiliano Sfortiae, vel cuicunque alteri, sub tutela et clientela Galliae, relinquere, universamque eo facto Italiam sibi devinctam habere: quam, retento Mediolano, tot ac tantas, toti demum Galliae funestas, cum magna parte Italiae, aemulaque Hispania, inimicitias suscipere.

CAPUT VIII.

Mutatio rerum, obitu Ferdinandi Catholici, in Europa facta. Nimiae Caroli opes ac potentia; inde impendens Europae periculum.

Ferdinando sine prole mascula mortuo, summa rerum in Hispania, ad Augustissimam Domum Austriacam, ac nominatim ad Carolum, Ferdinandi e filia Johanna et genero Philippo nepotem natu majorem devoluta est a. 1516: annitente imprimis Francisco Ximene de Cisneros, Cardinali et Archiepiscopo Toletano, ac, post mortem Ferdinandi, Castiliae Gubernatore. Quem tamen Carolus, optime utut de se, deque universa rep. meritum, avique et aviae gratia florentissimum, in ipso regni per eum quodammodo parati aditu (1517) ingratus ab officio dimisit. Unde concepto animi moerore nonnulli, alii etiam veneno scribunt consumptum, non multo post periisse octogenarium senem, et Hispanici nominis, belli pacis-

que artibus, ad haec literarum quoque amore ac patrocinio (Biblia Complutensia Polygl. VI. vol. f. 1514—1517) virum facile principem. Carolus, super Hispaniam, Dominus jam antea Belgii, quod jure Aviae suae Mariae Burgundicae tenebat; et propediem, morte avi paterni Maximiliani, in successionem quoque amplissimarum Domus Austriacae possessionum venturus, sollicitudinem toti Europae gravem incussit, veritae scilicet, ne in potestatem unius omnia concederent. Concessissentque procul dubio, nisi quanta Carolus cupiditate summum rerum omnium imperium appetebat, tanto ipsi studio Rex Gallorum Franciscus, qui et ipse principatum affectabat, obstitisset. Id saluti fuit Europae, nondum ejusmodi periculis exercitae, neque adeo tutandi sui ac defendendi rationes illo adhuc tempore, ita ut par erat, edoctae.

CAPUT IX.

Francisci et Caroli armis de principatu in Europa decernentium vires inter se conferendae ac ponderandae. Principis utriusque ingenium, opportunitas belli gerendi.

Imperium Hispanicum latius extensum, sed magno locorum intervallo, ac maribus interjacentibus disjunctum: regnum Galliae angustiori quidem terrae spatio terminatum, sed continuum, non discerptum. Carolus viris, opi-

opibusque abundabat: Franciscus liberius imperabat. Hispani ob innatam animis superbiam, minus dicto audientes, suspicionum praeterea pleni; Belgae parcum genus atque avidum auri: Galli gloriae, bello praesertim partae cupidissimi, et regi suo, si gratia valuerit, ad stuporem dediti. Legiones Hispanicae in omni armorum genere exercitatissimae, vincere hostem asvetae: sed et Galli longo usu militiam edocti, nunc maxime, recenti de Helvetiis, nulli antea hosti superabilibus, victoriâ, spei, animorumque pleni. Duces magni utrobique, et rei militaris scientia clari. Ipsi Principes, intra annos juventutis ambo, ambitiosi ambo; sed Franciscus gloriae, Carolus imperii magis cupidus; ille belli gerendi, hic administrandae reip. peritior; ille ferox, temerarius, ad vim magis, quam consilium cuncta referens; hic callidus, prudens, pericula omnia caute circumspiciens; illum bonum, hunc magnum justius virum dixeris.

Haec ingenia, hae opes duobus potentissimis in Europa Principibus, et populis, quos 30 fere annos armis inter se de principatu decernentes videbimus. Henricus VIII. Rex Angliae, quem neutrarum partium esse, atque temperare potius certamen convenerat, ipse illud accendit, et dedita velut opera commune discrimen auxit, ad partes Caroli, potenti-

oris alioquin, per summam imprudentiam, semet inclinans.

CAPUT X.

Discidia animorum unde inter Carolum et Franciscum enata? quibus rebus confirmata? Bellum I-um. Pugna ad Ticinum. Pax Madridensis.

Maximiliano a. 1519 mortuo, dignitatem Imperatoriam uterque ambibat. Ordines Imperii, neglecto utroque, quod utriusque vererentur ingenium ac potentiam, primo Fridericum Sapientem, Electorem Saxoniae, dein eo, quod grandis jam natu esset, imperium renuente, post longam disceptationem Carolum, a quo minus sibi timebant, Imperatorem pronuntiant, auctore imprimis Friderico Sapiente, qui loco sui Carolum Electoribus commendaverat. Franciscus, quo propius erat, ut dignitatem Imperatoriam consequeretur, eo vehementius praereptam eam sibi indignabatur. Discidium animorum inde ortum aliis mox rebus confirmatum. Franciscus ex conventione Noviodunensi, quam a. 1516 cum Carolo inierat, reddi sibi ab eo petiit Navarram ac Neapolim. Carolus autem non modo id non praestitit, sed vicissim cedi sibi a Francisco postulavit Mediolanum, qua Feudum Imperii Germanici, et Burgundiam jure aviae suae Mariae Burgundicae sibi debitam. Neutro alterius postulata facere volente, rem ad arma redituram jam tum apparebat. Sed neuter

dum prior materiam bello suppeditasse videri vult, bellum paulisper dilatum. Forte accidit, ut Hispani, qui praeferri sibi Belgas, his summum imperium, potestatemque rerum omnium committi aegre ferebant, Carolo ad capessendum imperium in Germaniam ex Hispania digresso, arma adversus Regem (Carolum) caperent. Eam occasionem non esse dimittendam ratus Franciscus, copias clam auxiliares Regi Navarrae dedit, ut Navarram, Regnum suum, recuperatum iret, et, si conatui fortuna faverit, communicatis cum rebellibus consiliis ac viribus, Carolo bellum inferret. Sed Galli, antequam rebellibus Hispanis se adjunxissent, ab iis, qui in officio permanserant, victi, irritam Regis sui spem reddidere a. 1521. Per id tempus etiam Robertus Comes Bullioneus subornatus a Francisco, ut obsequium Carolo renuntiaret: quem cum armis ad officium reducere vellet Carolus, auxilium ei ultro misit Franciscus. Tot modis lacessitus ac provocatus Carolus, bellum, quod volebat dudum, sed velle se dissimulabat, aperte suscipit, hoc majori animo, quo minus dubium erat, Franciscum caussam belli fuisse. Sociorum inde habita cura. Henricum VIII. adjungere sibi plurimum uterque cupiebat. Sed is, circumventus a Ministro suo Wolseyo, quem spe obtinendi Pontificatus ad suas partes pertraxerat Carolus, caussam et arma Ca-

roli adoptavit. Cum Francisco stabant, praeter Helvetios, Veneti. Bello in Italia occepto exeunte anno 1521, Galli gravi ad Bicoccam clade affecti, tota excedere Italia, Mediolanumque victori Carolo relinquere coacti sunt a. 1522. Inter haec majus aliud domi malum. Carolus Borbonius (Bourbon) summus terrestris militiae Magister (Connètable) a matre Francisci Ludovica Sabauda, quod manum et amorem ejus sprevisset, exagitatus, et proxime amplissimis defunctae uxoris suae possessionibus haereditariis per vim et fraudem spoliatus, ardens irâ, miscere cuncta, privatasque injurias ruina reip. vindicare statuit. In eo conatu deprehensus, metu poenae, ad conscium ac hortatorem sceleris hostem Carolum profugit a. 1523. Exercitui ab hoc praefectus, brevi, Gallis, qui ductu Boniveti Mediolanum denuo irruperant, gravi praelio ad Biagrassam *) victis, Italiâque ejectis, patriam suam alter veluti Coriolanus, infestis armis oppugnatum venit a. 1524. Et ne sola ea calamitas esset, eodem tempore etiam Henricus VIII in Picardiam irruit. Sed Franciscus, quem

*) Proelium inter cetera memorabile nobili letho Bayardi, in recessu, dum insequentem hostium aciem unus omnium maxime sustinet, caesi. Fuit rarum militiae Gallicae ac humani generis decus, et sane ob virtutem bellicam, vitamque integerrime actam dignus, cui grata posteritas honorificentissimum *Equitis sine timore et labe* (le chevalier sans peur et sans reproche) nomen post mortem tribueret.

res adversae erigere potius, quam frangere semper consveverant, non repellit modo utrumque, verum etiam, bello in Italiam translato, Mediolanum victor ingreditur. Inde, exercitu per summam imprudentiam diviso, et parte ad domandam Neapolim missa, cum parte altera ipse, ingruente licet hieme, ad oppugnandam Paviam (vet. Ticinum) accedit. Quinque fere in ea oppugnatione necquidquam consumtis mensibus, Borbonius interim valida collecta manu oppidanis supervenit. Tum Franciscus, quamquam, si sui copiam fecisset, ancipiti se periculo pressum iri probe intelligeret, tamen pugnae casum subire, quam pedem referre maluit. Praelio igitur commisso 24 Febr. 1525, cum acerrime magna utrinque caede pugnatum esset, victoria, diu incerta, ad partes tandem Hispanorum inclinavit. Caesa ibi 10 millia Gallorum, cum duce Boniveto; Franciscus ipse captus in hostium venit potestatem, in quem dein superbe admodum victoriam exercuit Carolus. In captivitate enim per 11 menses detentum, jamque ex aegritudine animi de vita etiam periclitari visum, invitus quodammodo et necessitate nonnisi coactus dimisit. Wolseyus, qui ope Caroli dignitatem se Pontificiam consecuturum sperabat, cum se deludi a Carolo, et bis vacante Sacra Sede, bis neglectum videret, dolore tantae ad irritum cadentis spei incensus, Henri-

cum VIII, ab amicitia Caroli abstractum, Francisco adjungit. Ille vero confestim de liberando Rege Galliae serio cogitare, atque hunc in finem non cum matre tantum ejus Ludovica, sed cum Pontifice etiam, ceterisque Statibus Italicis, successu armorum Caroli, et clade Francisci non parum attonitis, consilia conferre, et undique hostes Carolo, amicos ac defensores Francisco parare. Quod intuens Carolus, ac veritus etiam, ne morte Regis fructu victoriarum prorsus carendum sibi esset, libertati tandem restituit Franciscum, non tamen prius, quam in sequentes foedas ac inhumanas concederet conditiones Madridi 1526. mense Januar. 1-o, omni in Italiam juri in perpetuum se renuntiaturum. 2, In Artesiam ac Flandriam nullum amplius imperium, nullam potestatem sibi arrogaturum. 3, Burgundiam Carolo traditurum. 4, vicies centena thalerorum millia soluturum. 5, in fidem harum rerum duos filios obsides daturum. 6, denique rediturum, si conditionibus intra 40 dies satisfactum non fuisset.

CAPUT XI.

Bellum secundum. Pax Cameracensis.

Franciscus nihil eorum, quae Madridi stipulatus erat, servavit, necessitate ea sibi captivo, ac de vita laboranti expressa esse caussatus. Novum proinde enasci necesse fuit Bellum. Ordines Burgundiae, coram delegatis a Carolo vi-

ris, repudiata ac rejecta solenniter pace, injussu suo, cum summo reipublicae detrimento facta, negant se imperium Caroli subituros. Pontifex nimiam Caroli dominationem veritus, et de infringenda ea dudum cogitans, non jurejurando tantum solvit Franciscum, sed quo tutius ei fidem violare liceret, *Foederis* vulgo *Sancti* fit auctor, inter Anglos, Venetos, Genuenses, Ducem Mediolanensem et Sacram Sedem pro Rege adversus Imperatorem initi a. 1526 Mense Majo. Ea re cognita Carolus, Pontifici potissimum infensus, ac hostiles gerens animos, hujus ante omnia temeritatem ulcisci statuit. Missus contra eum Borbonius, posteaquam Mediolanum, sibi a Carolo, in praemium laboris, promissum occupasset, Romamque infesto agmine venisset, vi ac impetu conabatur urbem capere: quod et factum a militibus ejus a. 1527 6. Maji; sed ipse, cum jam in eo esset, ut urbe potiretur, scalis muro admotis, inter primos fortissime dimicans cecidit. Non abest suspicio, eum commissi in patriam nefarii sceleris conscium, taedio vitae, mortem ultro oppetiisse. Româ ab Imperatoriis expugnatâ, ac foede direptâ, Pontifex in Castro S. Angeli, ubi refugium ac salutem quaesiverat, captus, ibidemque in custodia habitus est, donec Galli, occasione bellandi, ex captivitate Pontificis, arrepta, Italiam ingressi, Imperatorios Roma ejicerent. Receptâ Româ, et

liberato Pontifice, Galli ad oppugnandam Neapolim cum sociis Genuensibus, totis viribus convertuntur; conatu tamen irrito, partim vulgata per exercitum tabe, partim proditione ac defectione Andreae Doria. Qui classi Genuensi praefectus, qua parte obsidere urbem mari debebat, commeatum ipse oppidanis misit; domum deinceps cum suis reversus, ejectis ex urbe Gallis, civitate ordinata, rebusque constitutis, in clientelam se Imperatoris tradidit a. 1528. Anno insequenti (1529) nihilo felicius rem gessere Galli, abundante quamvis multitudine, victi in Ducatu Mediolanensi ab Hispanis. Induciae inde secutae, et demum Pax, anno eodem, Cameraci, opera Ludovicae Sabaudae et Margarethae Austriacae, amitae Caroli, Belgii tum Gubernatricis, concinnata, et inde *Pax Matronarum* dicta: hoc saltim, quam Madridensis, aequior Francisco, quod filii obsides restituti, relictum praeterea Burgundiae imperium. Ceterum Carolus universae reconciliatus Italiae, et a. 1530 Bononiae Corona Imperatoria solenniter redimitus; Genuae parta et confirmata libertas; Franciscus Sfortia Mediolanum restitutus; Alexander Mediceus, filia Imperatoris (ex illegitimo thoro) Margaretha in matrimonium ducta, primus suae gentis, haereditarius Florentiae Dux creatus; Galli penitus Italia exterminati; Carolus arbiter quodammodo totius Europae fieri visus.

CAPUT XII.

Turcae terra marique Europae graves. Salus a Francisco in foedere et amicitia Solimanni II. quaesita.

Dum in Occidente Gallia et Hispania de principatu contendunt: interea Turcae in Oriente egregiam nacti occasionem non vicinas tantum Orientis regiones, sed remotiorem etiam Occidentem ac Meridiem infestis armis appetendi. Solimannus II. princeps belli pacisque artibus barbarorum omnium maximus, et, nisi crudelitate gloriam obscurasset, magnitudine animi, fide, justitia ac continentia, cum praestantissimis Christianorum facile conferendus, imperio a. 1520 potitus, non, ut pater Selimus I, Persiam et Aegyptum, sed Europam domandam sibi proposuit. Expugnato igitur a. 1521 Bellogrado, mox Hungaris infelici ad Mohátsinum praelio confectis a. 1526, et, occasione funestissimi certaminis inter Ferdinandum Austriacum et Johannem Zápolya de regno enati, bona Hungariae parte sub suam potestatem redacta, a. 1529 arma Germaniae inferre, ipsamque Viennam obsidione cingere est ausus. Ab oppugnanda quidem civitate Imperatoria gravi suorum clade rejectus, sed auctus per id tempus imperio et possessiene Moldaviae; Germania autem neque insequentibus annis tuta ab insidiis et incursionibus Turcarum praestita. Mari nihilo

levius a Turcis impendebat periculum. Ante Solimannum adhuc Aegypti et Algiriae (a. 1518) domini, sub Solimanno totam pene Septentrionalem Africam, ex insulis Rhodum (a. 1522) ordini Johannitarum, serius (1566) Chium Genuesibus, multo sangvine ereptas, potestati suae subjiciunt. Quo facto principatum Maris Mediterranei consecuti, impune fere in Italiam et Hispaniam grassari posse videbantur. Id intuens Franciscus, cum fractas per Carolum vires, nec se resistendo parem sentiret, Turcas a tergo hostes Carolo suscitare, foedusque et amicitiam cum iis jungere statuit: ita ratus facillime dividi Caroli vires posse, Galliamque ab interitu vindicari. Foedus, idque ad bellum mutuis animis, conjunctisque viribus, non propulsandum modo, sed et inferendum, gravi totius Europae Christianae offensione, a. 1537 primo initum, saepiusque deinceps renovatum, religiose utrinque etiam a successoribus servatum est.

CAPUT XIII.

Expeditiones Caroli Africanae.

Pace cum Francisco parta, Carolus trajicere in Africam, et praedones maritimos, qui oras Italicas et Hispanicas armis saepe lacessebant, compescere statuit. Horuc, sive Aruc, origine Lesbius, patre figulo natus, posteaquam piraticam diu in oris mari Mediterraneo ad-

jacentibus exercuisset, principatum sibi in Algiria paravit a. 1517. Qui ei successit Hayradin, seu Hereddin Barbarossa, se suaque omnia in clientelam Solimanni ultro tradidit; classique Turcicae ob eam caussam a Solimanno praefectus, infestam omnem Africam et Europam, qua Mari Mediterraneo adjacet, latrociniis reddidit. Forte Princeps Tunetanus, regno per Barbarossam a. 1531 pulsus, auxilium apud vicinos Hispanos, quorum tributarius erat, quaesivit. Carolus dudum praedonibus infensus, et nunc, quo semper alias, bello Gallico, pace parta, forte non distractus, arripit occasionem bellandi; exercituque ingenti e Sardinia in Africam trajecto a. 1535, Tunetum, profligatis barbaris, et Goleto arce expugnata, recuperat, pactisque conditionibus, pristino possessori restituit; ipse, liberatis e tristi servitute 20 Christianorum millibus, parta ingenti praeda et gloria, in Italiam redit. Discessu ejus, resumtis brevi animis, barbari audacius etiam, quam antea, foederatos Caroli in Africa, ipsasque Hispaniae et Italiae oras maritimas infestabant. Quare a. 1541 alteram Carolus, frustra dehortante Andrea Doria, expeditionem in Africam suscepit, sed eventu infelici. Nam classe ventis et tempestate soluta, exercitu, a moenibus Algiriae, ad quam oppugnandam accesserat, magna clade rejecto, aegre cum paucis de suis elabi, et redi-

re in Europam potuit. Audaciores inde in dies piratae redditi, non Tunetum tantum recuperant, sed Tripolim quoque anno 1551 sub suam redigunt potestatem.

CAPUT XIV.

Bellum 3-um inter Carolum et Franciscum, Induciis Nizzae in 10 annos initis compositum.

Post Pacem Cameracensem sex annorum quies ab armis Carolo et Francisco contigit. Refectis interea viribus, et, quae plurima bellis superioribus acceperat, curatis vulneribus, Franciscus, nihilo inclinatiori ad otium et quietem animo, exspectabat occasionem bellandi. Quam nactus egregiam, legato, quem Mediolani habebat, non inscio, ut creditur, Carolo, jussu Ducis Mediolanensis, caeso; Imperatore plane bello cum praedonibus Africanis distracto, irruit in Italiam anno 1535-o, occupat Sabaudiam, jure materno, sibi, ut affirmabat, debitam. Inde ulterius Mediolanum tendit, eo facilius id nunc se consecuturum sperans, quod Franciscus Sfortia domus suae ultimus, eodem anno mortuus, nullam stirpem reliquerat. Carolus interea victor ex Africa reversus, Gallis ex Italia pulsis, bellum anno 1536-o in Galliam transfert, sed brevi a Francisco, in arcendis quam in inferendis bellis feliciori, gravi clade rejectus, tota decedere cogitur Sabaudia, et Pedemontio. Ab alia parte Tur-

cae, ex foedere cum Gallis, terrestri exercitu Hungariam, classe Italiam invadunt a. 1537-o. Pontifex Paulus III-us fama foederis inter Turcas et Gallos initi, metuque toti inde Orbi Christiano proxime autem Italiae impendentis periculi commotus, bellum inter Franciscum et Carolum componere maturat. Intercessione ejus pax, aeque utrique parti desiderata, sine magno negotio, ad tempus saltim restituta, induciis Nizzae (urbs Pedemontii maritima) in 10 annos ea lege initis, ut quod ambae partes in praesens tempus haberent, id retinerent; in controversiis, quae superessent, Pontificem sibi judicem, ac arbitrum sumerent. Ita Franciscus impensi sangvinis ac sumtuum fructus qualescunque hac vice habuit, Sabaudiam et Pedemontium. Quod volebat potissimum, Mediolanum, non obtinuit quidem, sed per Imperatorem, qui armis illud a morte Francisci Sfortia obsessum tenuit, bene de eo etiam sperare jussus.

CAPUT XV.

Bellum 4-um. Pax Crespiacensis.

Non ita multo post inducias Nizzae initas Carolus, cum iter per Galliam ad sedandos tumultus Belgicos faceret, honorificentissime ac benignissime a Francisco exceptus, fidem solenniter dedit, Mediolanum Duci Aurelianensi, filio Francisci natu minimo, propediem se col-

laturum. Id ut fieret, frustra aliquamdiu Rex praestolatus, cum se deceptum denique, nec Carolum fidem praestare velle intelligeret, vehementius, quam unquam exarsit. Auxit indignationem, simul materiam bello optatam praebuit, duorum legatorum, Constantinopolim unius, alterius Venetias destinati, anno 1542-o, Mediolani, jussu Gubernatoris Hispanici, eo consilio patrata caedes, ut ex scriptis eorum molimina Regis cognosci possent. Quo facto, haud secus, quam dignum erat, infensus Franciscus, vindictam Carolo, fidei, et juris Gentium violatori, propalam minans, renovato veteri cum Turcis et Venetis foedere, imo Duce etiam Cliviae, Danis praeterea et Svecis ad suas partes pertractis, primum trifariam Imperatorem in Italia, Hispania et Belgio aggreditur anno 1543; dein, cum id minus ex sententia succederet, mutato consilio, universi molem belli in Italiam transfert. Re ibi prospere gesta, Imperatoriis ad Cerisoles gravi proelio victis a. 1544-o, cum penetrare ulterius in Italiam vellet, revocare copias ad proprium tutandum imperium cogitur, parte ab una Henrico 8-vo, quem domesticum inter Galliam et Scotiam foedus offendit, Picardiam, ab altera, ipso Imperatore Campaniam cum exercitu ingressis, urbique regiae imminentibus. In non leves tum conjectus videbatur angustias Franciscus, spe tamen felicius expeditus, par-

tim altercatione inter Carolum et Henricum exorta, partim turbis Reformatione sacrorum in Germania excitatis, partim etiam beneficio Turcarum, qui hinc Austriae, occupatâ Hungariâ, illinc Italiae, adjuncta sibi etiam classe Gallica, arma inferunt. Ita Franciscum res adversae, ipsaque laboris et contentionis minus jam patiens aetas, Carolum, tot undique circumstantium malorum minae, propensum ad pacem reddidere, quae et reconciliata anno 1544 Crespiaci. Franciscus nihil illâ consecutus, nisi quod filio ejus natu minori, Principissam e domo Imperatoria ducturo, spes potiundi Mediolani per Imperatorem admota. Quae ipsa tamen spes irrita mox facta, morte Principis regii anno 1545-o insecuta, et tum Mediolano per Carolum in filium Philippum collato. Ceterum juri uterque suo, Carolus juri in Burgundiam, Franciscus juri in Neapolim, Artesiam et Flandriam mutuo renuntiavere. Navarra sub potestate Hispanorum relicta. Cum Anglis post expugnatam a. 1544 Bolognam, biennium adhuc, haud memorabili certamine pugnatum; Bologna tamen non prius quam anno 1554 gravi aere recepta. Pax Crespiacensis finem diuturno inter Carolum et Franciscum certamini imposuit, Carolo gravioribus deinceps in Germania curis avocato, Francisco autem, ut et Henrico 8-o, non ita multo post, anno 1547-o vita functis.

Non esse praetereundum videtur, Franciscum, ut ut leviter ipsum eruditum, continuisque bellis distractum, amasse literas, et ad earum, veteris imprimis literaturae Graecae ac Latinae excitandum studium, nulli impensae, nulli pepercisse labori, Patremque literarum (le Père des lettres) ob id appellatum. Sub eo corrupta aevi medii, veteri Latio ignota Latinitas exulare foro, et in locum juraque ejus vernacula Gallica succedere jussa anno 1536-o. — Vide Bouterwek Gesch. der Poësie, und Bereds. Göttingen 1806. Tom. V-i. Libro 2-o; pluribus in Gaillard Histoire de François 1-er. Paris 1766. Vol. VII-o. 8-o.

CAPUT XVI.

Diuturnae inter Carolum et Franciscum contentionis quis fructus?

Occasione certaminis hujus 1, Status Europaei, cum nimia unius potentia libertatem ac salutem omnium periclitari perspexissent, attentiores in rem suam redditi, sanioresque in futurum sui defendendi ac conservandi rationes edocti; Systema ita dictum Aequilibrii, seu aequalitatis virium fundari exstrui ac efformari paulatim coeptum, duobus dehinc potentissimis Statibus, Hispania et Gallia, omnem rem Europaeam pondere quasi suo librantibus. — 2, Turcis et Anglis in partem belli vocatis, Status Occidentis et Meridiei arctiori, quam un-

unquam antea, vinculo conjuncti. — 3, Gallia, ut ut possessione et imperio deturbata Italiae, suam certe libertatem et gloriam egregie tuita; et idcirco — 4, Carolus parte tantum votorum potitus, asserto sibi Italiae et Germaniae, non item Galliae imperio.

II. Historia Reformationis Sacrorum.

CAPUT XVII.

Causae, occasio, origo, et progressus Reformationis Sacrorum. Comitia Vormatiae, Spirae et Augustae habita.

Post detectam Americam nulla alia res tantum ad mutandam hominum ac temporum conditionem, novamque veluti faciem orbi induendam, quantum Reformatio Sacrorum contulit. Profecta illa a quaestu Indulgentiarum, institui caepta in Germania per Lutherum a. 1517-o, multis antea rebus ac causis parta ac sensim praeparata. Potestas Pontificum Romanorum a Seculo potissimum IX-o, ope *Decretalium* (Epistolarum, quae Episcopis Romanis primorum aevi Christiani Seculorum tribuebantur) arte et audacia nonnullorum Pontificum, in his Georgii VII-i (Hildebrand), Urbani II-di, Innocentii II-di, Alexandri III-i, a tenui initio ad summas opes provecta, extremo Seculo XIII-o sub Bonifacio VIII-o fastigium, quo nunquam altius, attigit. Incli-

nari inde, et magis in dies referri ac revolvi caepta est, posteaquam Sedes imperii Papalis Româ Avenionem translata a. 1305-o; Ordo Templariorum, Clementis VI-ti Pontificis, et Philippi Galliarum Regis auctoritate deletus a. 1311-o; Schisma magnum in Ecclesia enatum a. 1377-o; auctoritati Pontificiae, ut alia omnia praetereamus, Decretis Conciliorum Constantiensis a. 1414-o, Basileensis a. 1431-o propalam derogatum. Verum haec leviora, illud aliquanto etiam gravius, quod ars typographica inventa, restauratae literae, iisque lux caliganti mundo reddita. Quibus omnibus illa dignitatis ac amplitudinis opinio, cui soli imperium Pontificium seculis superioribus innixum stabat, penitus fere sublata; populi, Principesque desiderio novandarum in Ecclesia rerum passim inflammati. Auxere desiderium vitia — — — cum Cleri universi, tum Pontificum ipsorum, proxime Alexandri VI-i, et Julii II-i, qui exeunte Seculo XV-o et ineunte XVI-o summa piorum omnium offensione, Sacrae Sedi praeerant. Accessere conatus, et labores Virorum excellenti ingenio, et — — praestantium ut Wiclefi in Anglia († 1384), Johannis Hussi et Hieronymi Pragensis in Bohemia († 1415) de vindicanda puriori doctrina, emendandaque Dei Ecclesia suscepti. Quorum doctrina, licet flamma ferroque exagitata, non tamen ita exstirpata,

ut non aliqua ejus semina mentibus hominum insiderent. Omnibus ita ad futuram rerum conversionem praeparatis, exiguo impulsu opus erat, ut novus Seculorum nasceretur ordo.

Forte accidit, ut Pontifex Leo X-us (ex illustri Mediceorum familia natus, anno aetatis 15-o Cardinalitiam, 36-o Pontificiam consecutus dignitatem) benigni alioquin et liberalis ingenii Vir, idemque literarum aestimator, ac fautor eximius, sed — — et aeris, si quisquam alius, prodigus, aerario, luxu, et magnificentia operum publicorum, exhausto, praecones Indulgentiarum, ad pecuniam, more Antecessorum, corradendam, per universum orbem Christianum dimitteret. Pessimo hoc quaestu (Guicciard. Lib. XIII. p. 297. ed. Basil. 1567) Principes egenam alioquin et miseram plebem emungi ac expilari, Viri pii ac cordati viam sceleri pandi, perditorumque hominum audaciam publica quasi auctoritate armari vehementer indignabantur; silentium tamen diu tenuere, praecludente vocem partim metu, partim insita Romanae Sedis reverentia. In Germania tandem, ubi impudentissime quaestus per se turpissimus a Tezelio ex Ordine Dominicanorum exercebatur, divino quasi numine excitatus, Vir incredibili animi robore, invictâque constantiâ, et quamquam pro aetatis suae rationibus non mediocriter doctus, eloquentiae tamen quam erudi-

tionis laude clarior, Martinus Lutherus, patria Islebiensis, Monachus Augustinianus, ac tum Theologiae in Academia Wittembergensi Professor, bellum initio Indulgantiis tantum, (a. 1517-o) mox, certamine cum adversarum partium Viris, lenitate, ne dicam negligentia Pontificis, ultra biennium protracto, acriusque inde accenso, ipsi demum Pontifici indixit a. 1520, cremato publice Jure Canonico, una cum Bulla Pontificis, in qua ipse damnatus erat.

Opportune admodum Luthero, Imperatore Maximiliano, qui neque ipse alienus erat a doctrina, quae purior audiebat, sub ipsa magni operis initia (a. 1519-o 12-a Jan.) mortuo, Imperator consensu omnium renunciatus Fridericus Sapiens, Elector Saxoniae, quantum Academiae Wittembergensi, nuper admodum a se erectae, tantum Luthero, summo videlicet Academiae suae lumini ac ornamento bene cupiens. Is grandis jam natu, Imperatoriam quidem dignitatem magno animo renuit, potestatem tamen Vicariam, dum Carolus Rex Hispaniae, in locum ejus Imperator creatus, capessere Imperium posset, per annum integrum cum dimidio tenuit. Tanto patrocinante Viro, primam periculi procellam, et quod tumultuosissimum pugnae erat, feliciter Lutherus sustinuit. Carolus ipse nihil magis initio cavit, quam, ne quid gravius in

Lutherum statuendo, ingratus in Fridericum Sapientem videretur, cujus commendatione potentissimo Regi Galliae Francisco praelatus, summumque imperium consecutus esset. Serius in gratiam Pontificis, quem abalienare a se eo minus volebat, quod opera ejus et auxilio adversus Regem Galliae jam tunc uti cogitaret, Comitia Ordinum Imperii Wormatiae (in Palatinatu Inferiori ad dextram Rheni ripam) anno 1521-o habuit, ibique dicere causam Lutherum jussit; sed, cum multi hunc, quod revocare sententiam nollet, comprehendendum urgerent, violari eundem contra fidem datâm vetuit, liberumque ac incolumem dimisit.

Causâ Lutheri ad Comitia Wormatiensia delatâ, negotium Religionis ab eo repurgari caeptae, inter paucos et privatos nonnisi ad eum diem contineri visum, ad totam dehinc pertinere rempublicam, neque adeo privatam eam amplius, sed publicam esse controversiam, ipso facto agnitum. Ibidem fundamentum insequentium certaminum jactum, parte ab una Friderico Sapiente, et, qui in eadem erant sententia, Principibus, patrocinium Lutheri aperte suscipientibus, parte ab altera Pontificiis nihil intentatum relinquentibus, ut Lutherum, id quod etiam factum, edicto solenni proscribendum curarent. Proscriptus igitur haud ita multo post, quam Wormatia dis-

cessisset, Lutherus, ut impendentem evitaret tempestatem, in arcem Wartburgicam, Isenaco vicinam, in tutum cedere a Friderico Sapiente coactus, decem ibi menses occultus vixit. Turbis interea in Hispania exortis, bellisque cum Francisco Galliarum Rege insecutis, ita Carolus erat occupatus ac distractus, ut de exsequendo edicto Wormatiensi, novisque doctrinae Lutheri objiciendis aggeribus ac impedimentis, nec si vellet, cogitare posset. Quare dicto illa celerius propagata, in Saxonia imprimis et Hassia; quacunque autem ingressa, ibi abnegata Pontificis auctoritas; missa, confesslo auricularis, adoratio Sanctorum abrogata; sublatus coelibatus Clericorum; monasteria clausa; Sacra Coena sub utraque specie administrari coepta.

Sed quo rapidiores ejus progressus, eo vehementius in adversariis obsistendi studium, eo acriores ad injiciendam animis hominum suspicionem, creandamque inde invidiam criminationes. Crimini nominatim dabant, doctrinam a Luthero traditam inimicam ordini, et disciplinae in Civitatibus receptae, reique adeo publicae perniciosam esse; idque exemplo Münzeri, bellique ab eo excitati, quod *Rusticum* vulgo dicitur, comprobare conati. Thomas Münzerus fraudulentus quidam et ambitiosus, vel, quod propius fidem est, fanaticus homo, doctrinâ Lutheri aut sponte de-

tortâ, aut non intellectâ, libertateque et aequalitate, quam Lutherus solis rebus divinis terminari cupiebat, docebatque, ad actiones etiam humanas, institutaque civilia extensâ, summa infimis aequare, nihil excelsum, nihil, quod supra cetera emineat, in Civitatibus pati, atque omne omnino genus imperii e vita ac consvetudine hominum tollere proposuit. Multis ex infima, novarum ut fit rerum studiosa plebe ad suas partes pertractis, caede et incendio magnam Germaniae partem involvit a. 1524-o. Quem cum frustra dehortaretur, frustra ad officium et ordinem reducere conaretur Lutherus, conjunctis Saxoniae et Hassiae Principum armis, tumultum caede furiosi ducis, multitudinisque infinitae eum secutae sangvine restingvi necesse fuit anno 1525-o *) — Quantum doctrina Lutheri in suscitando funestissimo hoc tumultu habuerit momenti, non est loci hujus quaerere: illud observasse sufficiat, adversarios occasionem inde criminan-

*) Decem post annis Anabaptistae iisdem, quibus Munzerus exitium sibi pepererat, flagitiis infecti, bellum magistratibus ac interitum civitatibus denunciarunt, novamque rempublicam ineptis opinionibus ac commentis suis consentaneam, Monasterii, Duce Johanne Bockholt, sartore Leidensi, creare aggressi sunt, sed irrito conatu, urbe, post 18 mensium obsidionem, anno 1535-o capta, rege et reliquis ejusdem amentiae sociis infando supplicio enecatis.

dae Reformationis sumsisse, criminationibusque suis, veris an falsis, perinde, si exitus rerum spectentur, multorum, Principum maxime Virorum, ab ea abalienasse animos.

Per id tempus accidit aliud, quod e Reformatione Sacrorum re ipsa secutum, ad sinistram de ea opinionem, hostesque eidem novos, e Clero imprimis Catholico, excitandos non parum contulit, *Secularisationem* intelligimus *Borussiae* per Albertum Brandenburgicum factam. Qui Magnus Magister Ordinis Sacri Militaris Equitum Teutonicorum, cui Borussia ab initio Seculi XIII-ii paruerat, postquam sacra a Luthero repurgata amplexus esset, eaque inter suos etiam introduxisset, abdicata Magistri dignitate, Ducalique assumto nomine, universas Ordinis sui possessiones, proprias ac haereditarias sibi, posterisque suis reddidit, seque in fidem ac clientelam Regis Poloniae tradidit anno 1525-o. Ea re attonitus Clerus Catholicus, ac, nisi opem mature ipse sibi tulerit, ruinam veritus, doctrinae, a qua tantum rebus suis impendeat periculum, vallum ac obicem quoquo modo objicere statuit. Quod tamen fieri, per adjuncta rerum ac temporum haud licuit. Nam praeterquam quod bellum cum Gallis flagrabat, Turcae, attritis Hungarorum clade Mohátsina opibus, Germaniae imminebant. Quare non videbatur tutum, exagitandis repurgatae religionis fau-

toribus, dividi, ac in partes rempublicam distrahi, et praeter externi hostis metum, discordia etiam civium periclitari. Ita edictum Wormatiense effectu caruit, imo in Comitiis Spirae anno 1526-o habitis solenniter illud suspensum. Sed brevi, eo rem adversarii doctrinae purioris perduxere, ut in Conventu Ordinum Spirae anno 1529-o habito, a novandis in Ecclesia rebus, propagandaque doctrina sua abstinere omnino Evangelici juberentur. Id illi factum indignati, solennem, ut dicunt, *Protestationem*, decreto interponunt, eamque ad Imperatorem Placentiam mittunt, *Protestantes* ab eo dicti. Imperator tum forte otii aliquid a bello cum Gallis, Pace Cameracensi, nactus, Comitia in annum insequentem (a. 1530) Augustam, ad litem penitus dirimendam indicit, rationesque fidei suae ibidem reddere Protestantes jubet. Illi imperata facturi, summam doctrinae suae, per Philippum Melanchtonem concinnatam, regulam dehinc, ac normam fidei futuram, Ordinibus Imperii Augustae congregatis proponunt, unde *Augustanae Confessionis*, et *Augastanae Confessioni Addictorum* nomen. Sed nihil ea re consecuti, imo durius etiam habiti, et intra diem certum redire omnes in gremium Ecclesiae, a qua secesserant, jussi, minis etiam, si parere recusarent, additis.

CAPUT XVIII.

Foedus et Bellum Smalcaldicum. Mauritius religionis et libertatis ex proditore vindex. Transactio Passaviensis; Pax religiosa Augustana.

Protestantes accepto atroci Comitiorum Augustanorum decreto, vim veriti, consilia, Foedusque mox Smalcaldiae, de libertate, ac doctrina sua, si aliter fieri nequeat, armis etiam defendenda, inter se ineunt anno 1531. Hac Ordinum Evangelicorum constantia, metuque Turcarum, mitiora paulo Imperatori consilia suggesta: quare anno 1532 Norimbergae, abrogatis Comitiorum Wormatiensium, ac Augustanorum decretis, pax Protestantibus, et ad futurum usque Concilium potestas, quae vellent, de religione statuendi, concessa. Ita bello quidem, quod instare videbatur, occursum; sed mansit multis rebus declarata simultas. Inde cura utrisque partes suas firmandi, et foedera ineundi. A Protestantibus renovatum foedus Smalcaldicum anno 1536-o; huic a Catholicis Norimbergense, quod et *Sanctum*, anno 1538-o oppositum; neque dehinc odiis tantum, sed armis etiam subinde certatum. Dux Brunsvicensis Henricus, a foederis Smalcaldici sociis, quos armis prior aggressus erat, victus, regno pulsus est a. 1540—42; Hermannus Archiepiscopus et Elector Coloniensis, quod Reformationis inter suos introducendae consilium cepisset, diris a Pontifice devotus,

et frustra succurrentibus Evangelicis, carere sua dignitate coactus a. 1543. Ob eandem causam exagitatus, possessionibusque per Ducem Bavariae exutus est Comes Rheni Palatinus Otto. Interim Pontifices Clemens VII-us, et, qui huic anno 1534 successit, Paulus III-us, praeteritorum Conciliorum vestigiis territi, moras ultro nectere, Concilium omni modo impedire, et rem armis quam consiliis geri malle; Carolus ab alia parte amplificandi imperii sui in Germania, opesque et jura Ordinum labefactandi consilium ex re capere, bellum idcirco et ipse cupere. Quod tamen opinione omnium longius dilatum, eo, quod Imperator bello adhucdum cum Gallis et Turcis distractus, finem certaminis hujus, et tempus rei gerendae exspectabat. Bello tandem cum Gallis Pace Crespiacensi anno 1544, cum Turcis a. 1546-o induciis quinquennibus composito, exsequi, quod propositum animo habebat, aggreditur. Valido igitur collecto exercitu, et quasi non suâ, sed Pontificis et Religionis caussâ arma caperet, auxiliis etiam a Pontifice impetratis, ubi satis omnia tuta ac explorata visa, palam in Protestantes coortus, Duces eorum, Joannem Fridericum Electorem Saxoniae, et Philippum Magnanimum Landgravium Hassiae proscribit anno 1546-o, caussam interserens, Generale Concilium, quod anno 1545 Tridenti convocatum, rejectum ab

iis, pacisque adeo disturbata consilia esse. Illi, cum maturato opus esset, segniter rem persecuti, neque satis inter se concordes, eripiunt sibi occasionem rei gerendae. Qui scientia belli gerendi, fortitudineque animi unus omnes anteibat, Mauritius, patrui sui Johannis Friderici opes et dignitatem appetens, prodita suorum caussa, ad partes se Imperatoris applicat, et qui defendendus potius erat, infestis armis, patruum Fridericum aggreditur: sed brevi victus, cum jam prope esset, ut suas etiam possessiones universas amitteret, violataeque conscientiae, et laesae consangvinitatis poenas penderet, superveniens cum exercitu Carolus, et illum periculo expedivit, et Johannem Fridericum, temere congressum, proelio prope Muhlbergam ad Albim a. 1547-o confecit, captumque et in castra secum abductum, in vincula conjecit. Nuntio cladis ejus, alter Protestantium Dux Philippus, pugnae casum solus subire non ausus, svasu ac intercessione generi sui Mauritii, redire in gratiam cum Imperatore statuit, et quas superbissimas victor pacis conditiones ferebat, ut quod impensae ad bellum erat factum, solveret, veniamque insuper peccati, in castris imperatoriis, ad genua provolutus, publice peteret, subacto necessitate animo facit. Non tamen vel sic ultionem infensi Imperatoris effugit, in castris ejus, inter ipsa.

epularum solennia, contra fidem datam comprehensus, et in custodiam datus. Nemo id factum vehementius indignabatur, quam Mauritius, et, quamquam amplissimos navatae eo bello operae fructus ab Imperatore tulisset, dignitate utpote Electorali, et bona parte possessionum patrui sui munifice per eum auctus, proposuit vindicare, quam primum fortuna affulserit. Tristi adeo Foederis et Belli Smalcaldici exitu, res Religionis a Luthero purgatae, quid quod totius etiam Germaniae libertas gravissimo in periculo versabatur. Imperator sui consilii certus, in Comitiis Augustanis anno insequenti 1548-o, librum, qui et veteris et novae Religionis professoribus, normae ac regulae loco, ad futurum usque Concilium inserviat, componi, et recipi per universam Germaniam jubet. Liber hic, vulgo *Interim*, licet propositae a Luthero doctrinae periniquus, cum infinitam Imperatoris dominandi libidinem, et imperii vel cum detrimento auctoritatis ac potestatis Pontificiae, stabiliendi consilium palam prae se ferret, Pontificiis non minus, quam Protestantibus displicuit; quare vi ac armis plerosque Principes ad recipiendum eum cogi necesse fuit. Multa inde, sed tacita tantum suspiria oppressam gentis Germanicae libertatem aegre ferentium; attonitis prope omnibus, resistendi nec spes, nec animus. Carolus nullum imperii modum,

nec terminum nosse; omnia arbitratu suo agere; de rebus Protestantium actum esse penitus videri. Sed arcuit exitium ille ipse Mauritius, cujus ambitione prope interitum ventum erat. Frustra hic diu pro socero suo Philippo intercedens, et cum publica omnium libertate, suam quoque in discrimen devocatam cernens, forte etiam poenitentiâ facti prioris animum subeunte, icto clam foedere cum Henrico Rege Galliae, posteaquam literis publice impotentem Carolo dominationem, structasque libertati Germanicae insidias exprobrasset, bellum cum eo aperte suscipit a. 1552-o, remque tanta celeritate ac virtute agit, ut tot regnorum Dominus, tot populorum superbus arbiter Carolus, post tot reportatas victorias, editaque invictae fortitudinis documenta, fuga expedire salutem cogeretur. Neque ea sola fuit calamitas. Galli Lotharingiam ex condicto invadentes, ad Rhenum usque armis victricibus progrediuntur. Parte ex altera Transilvaniam Turcae incursant, quam, Isabellae, Johannis Zápolya viduae, fraude Martinusii, ereptam, nuper admodum Ferdinandus Caroli frater ditioni suae adjunxerat. Tot hostibus impar Carolus, paciscendum ratus, rem cum Mauritio Passaviae anno 1552-o 2-a Aug. transegit. Transactione ista: 1-o, res suas suo arbitratu Protestantes ordinare sine metu jussi; 2-o, Captivis Principibus libertas,

Hasso etiam bona, quae amiserat, restituta; 3-o, ad diuturnam de Religione dissensionem funditus tollendam, Comitia intra sextum mensem promissa. Ita ille ipse, quo nemo fere gravius rem Protestantium afflixerat, eandem amissam prope et jacentem erexit ac restituit. Sed exitum tamen negotii non vidit Mauritius, anno insequenti, dum Albertum Brandenburgicum, (qui Germaniae vulgo Alcibiades vocitatus) belli antea socium, sed, quod Transactioni Passaviensi stare, finemque bellandi facere noluisset, hostem publice judicatum, armis ad officium reducere cogitat, in proelio adversus eum ad Sievershausen victor caesus, anno aetatis 32-do. Turbae per Albertum in Germania excitatae, mors Mauritii, bellumque cum Gallis Transactione Passaviensi non omissum, fecere, ut Comitia Passaviae promissa, non prius, quam a. 1555-o Augustae haberi possent. Ibi praesente et adlaborante Ferdinando, qui frater Imperatoris, et ab anno 1531 Rex Romanorum erat, commemorabilis illa pax Religiosa Augustana facta est, qua Augustanae Confessionis socii liberi ac immunes ab omni Pontificis et Episcoporum imperio pronunciati, suis dehinc legibus vivere; quidquid superioribus temporibus ab Ecclesia possessum in usus privatos convertissent (secularisassent) sibi habere, jussi; aditus porro iisdem in Cameram Imperialem

patefactus; omnes denique, qui Religionis nomine litem aut injurias illis inferre auderent, hostes salutis publicae judicati. Sed haec omnia in gratiam solummodo Augustanae Confessioni Addictorum constituta, beneficio legis ad Evangelicos Helveticae Confessionis non extenso; conditum praeterea in iisdem Comitiis Augustanis ita dictum *Reservatum Ecclesiasticum*, quo cautum, ut Principes Ecclesiastici, si qui forte futuris temporibus Reformationem amplecterentur, bonis ac beneficiis omnibus exciderent: ibi jacta insequentium turbarum ac certaminum semina.

CAPUT XIX.

Religio in Helvetia a Zwinglio et Calvino felici cum successu emendata.

Quod Lutherus Germaniae, idem vicinae Helvetiae Ulricus Zwinglius praestitit. Patria hic Wildenhausanus e Pago Toggiorum, Glaronensis primum (a. 1506—16) dein Eremitanus, demum ab anno 1519-o Tigurinus Sacerdos ac Canonicus, magnum opus Reformationis, ipso, quod satis constat, Luthero maturius, sed nec successu, nec strepitu tanto aggressus, Sacro N. Testamenti Codice pro concione explanando, et doctrina in eo comprehensa publice annuncianda, sensim auditores suos ab hominum commentis ad Scripturae placita traduxit; effecitque ita, ut anno 1519-o

Ber-

Bernardinus Samson Monachus Franciscanus, turpem illam mercaturam, quae Lutherum excitaverat, inter Helvetios Tezeliana impudentia faciens, non Tiguro tantum, sed tota etiam Helvetia excedere cogeretur. Atque hic primus gradus fuit reformandae, et superstitionibus liberandae Helvetiae. Persecutus deinde fortiter, quod coeperat, Zwinglius, animis etiam e successu Lutheri sumtis, tantum in difficillimo opere profecit, ut anno 1524 imagines publica auctoritate e templis Tigurini removerent, anno autem 1525-o Missâ, ceterisque, quibus veterem Ecclesiae faciem mutatam judicabant, cerimoniis solenniter abrogatis, ultimam manum Reformationi Sacrorum imponerent. Luce interim latius sparsa, pluribusque in dies pagis Helvetiorum, Bernatibus nominatim, Genevensibus, Basileensibus et Schafhusanis (a. 1528—29) exemplum Tigurinorum secutis, Helvetiorum alii, Lucernenses, Schwitzü, Underwaldii et Zugii, qui mutationem avitae religionis aegre ferebant, bellum Tigurinis inferunt, in quo Zwinglius, more apud Helvetios usitato, militantibus in proelio exhortandi et consolandi gratia adesse a Magistratibus jussus, vitam pro patria et religione impendit, ab hostibus caesus a. 1531-o.

Ecclesia Zwinglii studio collecta, *Reformata* postmodum, exemplo vicinorum Gallorum, qui hoc se vocabulo a Romano-Catho-

licis distingvebant, dicta, in suis initiis, ab Ecclesia Lutherana, solo de Sacra Coena dogmate, diversa, serius pluribus aliis controversiis penitus ab eadem dissociata, unius fere Helvetiae, paucarumque in Germania Civitatum (ab his Confessio Tetrapolitana in Comitiis Imperii Germanici Augustanis anni 1530-i seorsim Imperatori exhibita) finibus continebatur; atque intra hos exiguos fines forte constitisset, nisi Calvinus ortus esset. Hic Gente Gallus, natus Novioduni anno 1509-o, vir laborum patientia, odio veterum superstitionum, accuratae eruditionis copia, eloquentia, ingenio, nulli aetatis suae secundus, apud Bituriges (Bourges) primum, quo se, excolendae Jurisprudentiae caussa, ad celeberrimum Alciatum contulerat, consvetudine Wolmari, quem, Luthero deditum, magistrum in lingva Graeca habebat, elementis doctrinae Evangelicae imbutus, totisque dehinc viribus ad studia Literarum Sacrarum, suscipiendumque religionis, quam ex isto fonte derivatam imbibit, patrocinium conversus, et ob eam rem, post inchoatam sub Francisco I-o Protestantium vexationem, secedere e patria, refugiumque in vicina Helvetia quaerere coactus, alter Reformationis Helveticae parens evasit. Fuga primum Basileam anno 1534-o delatus, opus ibi praestantissimum, et incomparabile, *Institutiones Religionis Christianae*, anno 1535-o vul-

gavit, addita excellenti ad Franciscum Regem praefatione, quam, ceu Religionis, de qua agebatur, vindicias, si forte legisset ille, aequiorem se procul dubio Protestantibus praebuisset. Basilea in Italiam paulisper, inde in Galliam digressus, Basileam vel Argentoratum, bello aliis itineribus interclusis, per fines Genevensium contendens, multis horum precibus inductus est, ut ibidem manere, oblatumque sibi Concionatoris, simul et Professoris Theologiae munus amplecti vellet anno 1536-o. Inde ob censuram morum, quam integerrimus ipse vir, Catoniano in suos rigore exercebat, ab ingratis civibus anno 1538-o pulsus, sed triennio post, (quod Argentorati docendae publice Theologiae, et erigendae novae Ecclesiae Gallicae ab eo dicatum) cupidius fere, quam ejectus erat, Genevam reductus est anno 1541-o. Ab eo tempore nova plane rerum facies in Ecclesia Reformata nasci; Calvinus Genevam suam, non modo legibus, et institutis optimis munire ac beare, sed etiam matrem, et Seminarium totius Ecclesiae Reformatae facere; in Academiam anno 1558-o felicibus auspiciis a se conditam, cujus non minor erat inter Helvetios, quam Wittembergensis apud Germanos fama, divinae humanaeque doctrinae Studiosos Juvenes undique ex Europa arcessere, per eos Ecclesiam Reformatam amplificare, novumque do-

ctrinae suae robur, novam in dies auctoritatem comparare: donec anno 1564-o conatum pariter vitamque mors interrumperet. — Invidiam viro bono non levem conflavit Michael Servetus, patria Villanovanus, (ex Arragonia Hisp.) professione medicus, — homo ingenii et eruditionis minime vulgaris, sed supra omnem modum arrogans, contentiosus et pervicax — ob erroneas de S. S. Trinitate, ac Deo contumeliosas opiniones scripto propugnatas, (De Trinit. Erroribns Libri VII. ed. 1531. Dialogorum de Trinitate Libri II. ed. 1532. Christianismi Restitutio. Viennae 1553.) Genevae, cum ex carcere Viennensi fuga elapsus per Helvetios in Italiam tenderet, auctore Calvino comprehensus, et, quia mutare sententiam nollet, re prius ex Calvini consilio cum Bernatibus, Tigurinis, Schafhusanis et Basileensibus V. D. Ministris communicatâ, publice crematus anno 1553.

CAPUT XX.

Dominationis Pontificiae inter Anglos occasus; dura nihilominus Reformatae Religionis sub Henrico VIII initia; Eduardi VI-i aequum et utile Reformationi sacrae regimen; Mariae Catholicae ingenium; acerbum et inexpiabile in Protestantes odium. Religio Reformata jus civitatis tandem, et principatum apud Britannos adepta.

Henricus VIII-us patrem Henricum VII-um anno 1509-o secutus, praeclaras naturae do-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tes, sed et multa ad regnum attulit vitia, Princeps suam gloriam, suas cupiditates pluris, quam rempublicam, faciens, cupidus imperii et sangvinis, varius praeterea in omni vitae genere. Fuit, ut vidimus, magna pars pertinacis illius inter Carolum et Franciscum certaminis, in quo satis superque inconstantiam animi sui testatam reddidit, nunc harum, nunc illarum partium, ut ferebat scilicet animus, non ut reipublicae, totiusque Europae salus postulabat. Idem sic initio infensus Reformationi, deditusque Pontifici erat, ut causam Ecclesiae, libro *de 7 Sacramentis* scripto, tuendam ipse adversus Lutherum susciperet, *Defensorisque Fidei* titulum eo facto sibi, posterisque suis, a Pontifice obtineret: procedente nihilominus tempore, auctor obolendae inter Anglos dominationis Pontificiae exstitit. Captus enim amore virginis Anglicae, illustri loco natae, Annae Boleniae, quo hanc matrimonio sibi jungere posset, divortium cum uxore Catharina Arragonica, Caroli Imperatoris matertera, post 18 annorum consortium, facere cupiebat, veniamque sibi ad eam rem a Pontifice Clemente VII-o dari petebat. Quam ut impetraret facilius, honestam speciem turpi incepto praetendit, religione se prohiberi dicens, ne consvetudine uxoris uti pergeret; fratris enim defuncti viduam eam fuisse, conjugium vero cum vidua fratris, legi divinae

repugnare. Clemens Henrici hinc, Caroli illinc offensam veritus, mora effugium quaerere, variisque Regem artibus ludere ac fallere studebat. Ille impatiens morae, auctore Cranmero, Cantuariensi postea Archiepiscopo, sacris renovatis jam tum initiato, sententiâ omnium fere Europae Academiarum exquisitâ, et, qualem cupiebat, reportatâ, Annam invito Pontifice uxorem duxit, suumque cum Catharina connubium, ceu legibus divinis adversum, decreto Episcoporum suorum, irritum pronuntiari jubet anno 1533-o. Diris ob eam rem a Pontifice devotus, in publico Gentis Conventu, omnem Papae in Anglia potestatem solenniter abrogat, seque Caput Ecclesiae Britannicae renunciandum curat anno 1534-o. — Multa inde facta ac instituta, quae viam Reformationi sternere, januamque aperire visa; Claustra Monachorum suppressa, bona eorum in usus privatos conversa, Libri Sacri in lingvam Anglicam translati, in Templis publice asservari, et usibus omnium patere jussi: verum haec omnia non studio veritatis, sed odio tantum Pontificis, a Rege animi impotentis acta sunt, qui infensum repurgatae Religioni animum futuris quoque temporibus retinuit, fautoresque ejus aeque ac auctoritatis Pontificiae patronos, diris, quamdiu vixit, suppliciis prosecutus est. Nihil igttur mirum, quale regis ingenium, talem etiam civium re-

ligionem, dubiam nimirum et incertam, regnante eo, fuisse. Laetior reipublicae, puriori nominatim doctrinae, affulsit dies, postea-quam Eduardus VI-us, Henrici e Johanna Seymuria (quae in locum fastiditae, adulterii falso insimulatae, securique mox percussae Boleniae successerat) filius, regnum obitu patris anno 1547-o accepit, optimae spei et dignus longiori vita adolescens. Eo nondum per aetatem ad regnum idoneo, et, dum adolesceret, Seymurio (Duce Sommerset) avunculo Regis summae rerum praeposito, hujus, et Cranmeri opera, Reformata religio publice in regnum introducta, cultus Romanus solenniter abolitus, dignitate tantum Episcopali, paucis praeterea cerimoniis, ad externum Ecclesiae decus, excitandosque pios sensus retentis. Inde nomen *Episcopalium*. Sacris restauratis, ad Scotiam cum Anglia conjungendam, tollendasque ita veteres inimicitias omni cogitatione Dux Sommersetensis ferebatur, idque matrimonio Eduardum inter et Mariam, quae sola e regnatrice domo Stuarta superat, concinnando, efficere cupiebat: sed conatum Proceres Scotiae, in his Cardinalis Betonius, Archiepiscopus Sant-Andreanus, avitae et constitutionis et religionis mutationem, ex ista amborum regnorum conjunctione, veriti, irritum reddidere. Interim Dudleyus, postea dux Northumbriae, Sommersethio, per quem

creverat, impie ac fraudulenter sublato, benevolentiâ mox adolescentis regis callide sibi adjunctâ, quum affecta hunc valetudine, nec jam procul vitae et regni abesse finem videret, rem aggreditur arduam, et periculosae plenam aleae, regium imperium, morte Eduardi, tot adhuc superstitibus regni competitoribus, in familiam suam derivare. Hoc consilio, persvasit Regi, ut sororibus, Maria (Henrici e Catharina) et Elisabetha (Henrici ex Anna Bolenia filia), quarum natales parum alioquin legitimi, juraque adeo in succedendo controversa habita, praeteritis; imo posthabitâ etiam Mariâ Stuartâ, quae sororum Henrici natu majoris, (Scotiae quondam reginae) neptis, sed extranea, et per Henricum cum Maria simul et Elisabetha a spe et jure Regni exclusa erat: in Johannam Graiam (Gray) Mariae Henrici VIII-vi sororum junioris, et Caroli Brandonii Suffolkiae Ducis ex filia, generoque Henrico Graio (Suffolkiae itidem Duce) neptem, religioni Reformatae, cujus prima tum undique communiendae cura erat, addictissimam, regnum testamento transferret. Erat autem Johanna nurus Northumbrii, filio Guilfordo magnae spei, ac nihil minus quam paternae indolis juveni, paucis ante diebus desponsata, formae, animi, ingeniique bonis commendatissima, et fastigio, ad quod destinabatur, consensu omnium di-

gnissima. Hanc, Eduardo Rege a. 1553-o defuncto, reginam Northumbrius Londini, invitam plane, et imperium, praesaga velut mente, deprecantem, pronuntiari jubet. Sed Maria, quae et ipsa regale sibi nomen, audita fratris morte, sumserat, multis ex nobilitate, odio imprimis Northumbrii, ad suas partes pertractis, superior brevi facta, Johannam regno, quod per novem dies tenuerat, Northumbrium vita spoliat. Mariae in regno confirmatae, post sumtum de inimicis supplicium, et sententiam, quae de Henrici patris, et Catharinae matris divortio lata olim erat, publice rescissam, proxima de marito sibi deligendo cura fuit. Delegit Philippum Hispaniarum principem, longe aliis, quam quibus genti Anglicae se commendare posset, artibus atque disciplinis innutritum, professum Reformatae religionis hostem, et dominandi cupidum, quippe qui vivo adhnc patre affectare regnum dicebatur. Ad hujus rei famam fremente populo, quibusdam, in iis Suffolcio, Johannae patre, arma etiam impediendae rei caussa capientibus, Maria occasionem inde sumit, Johannam, et maritum, innoxios ambos, ambos in vinculis adhuc detentos, praetextu conjurationis adversus rempublicam initae, e medio tollendi. Caesa igitur inter multas circumstantium, praestantiamque animi, et in perferendo suplicio fortitudinem admirantium

lacrimas, etiam eorum, qui Marianarum semper partium erant, die 12 Febr. a. 1554, aetatis 17-o, mulier, ut vitae et virtutum, ita etiam vicissitudinum humanarum exemplum insigne, ante octo demum menses, inter felicissima auspicia, nuptum data, paulo post Domina regni potentissimi facta, a regno statim in carcerem missa, et ex eo nunc ad supplicium rapta, nullum ob scelus, alienae tantum ambitionis et culpae victima. Imperii a caede et sangvine coepti idem deinceps per quinque annos tenor, idem sequebatur exitus. In Protestantes imprimis saevitum: praeter instillatum a tenero renovatae religionis odium, memoriâ quoque vicissitudinum, quas ex isto fonte derivatas olim subierat, impotentem alioquin Reginae animum stimulante. Dicto igitur citius mutata penitus rerum facies; religio Reformata, quam regnum aditura Maria tutandam ac conservandam publice receperat, contra datam fidem abrogata, fautores ejus exulatum alii ejecti, alii ferro absumpti, multi, in quibus Cranmerus, accensis ignibus vivi cremati. Religio contra vetus ad pristinum decus ac dignitatem revocata; auctoritas Pontificia decreto solenni restituta, et quasi postliminio instaurata. Neque hic Reginae in Protestantes odium substitit, sed publicam illa regni utilitatem suo in Catholicam religionem studio, (unde ipsa *Catholica* dicta) postponens,

faedus arctissimum cum Hispania jungit, Angliae, totiusque Europae rationibus aeque inimicum; et oblita *aequalitatis virium*, rei ad conservandam communem Statuum omnium libertatem atque salutem adeo necessariae, ipsa opes Hispaniae, quas deminuere potius oportebat, sustinet augere, et in majus provehere; fit socia belli inter Galliam et Hispaniam exorti, in eoque Caletum, quod, per duo amplius secula possessum, solum adhuc in Gallia Anglis supererat, amittit, media hieme a Gallis per occasionem receptum a. 1558. Ingens ea jactura omnibus videri, culpa rei male gestae omnis in Mariam, et Ministros ejus conferri. Id mirum quantum reginae animum afflixit. Accessit desperatio sobolis, mariti absentia fere continua, alieniorque in ipsam, utpote nec a forma, nec ab ingenio commendabilem, animus. Quo factum, ut in febrim incideret, qua sensim crescente, absumta est d. 17. Novemb. a. 1558, aetatis 43-o. Morte ejus, sorore Elisabetha ad clavum regni admota, maxima domi forisque rerum mutatio secuta, Reformata nominatim religio decreto ordinum denuo introducta, stabilita, jure civitatis ac principatu potita. Sed haec, terminos utpote aevi hujus excedentia, inferius pluribus exponentur.

CAPUT XXI.

Reformationis ambitus et effectus. Nova imperii Pontificii praesidia, Ordo Jesu, et Concilium Tridentinum.

Religio Reformata sua se indole commendans, porRlis praesertim frigidius coelum incolentibus, quibus minus fervida imaginatio, sedatius ingenium, prima incunabula sua, Germaniam et Helvetiam facile supergressa, mature per totam didita est Europam, aditu sibi patefacto:

In Germania: in Status Saxonicos, Brandenburgicos, Brunsvicenses, Hassiacos, Megalapolitanos (Mecklenburg), Holsaticos, et nonnullos minores; quos referre nominatim non vocat, ad Septentrionem Status; ad meridiem, in Palatinatum, Badenam, Wurtembergam, et plerasque Urbes Imperiales;

In Helvetia: inter Tigurinos, Bernates, Basileenses, Schafhusanos, Genevenses, partim etiam inter Glaronenses, Abbatiscellenses (Appenzel) et San Gallenses;

Extra Germaniam et Helvetiam: inter Borussos, Svecos, Danos, Norvegos, Belgas, Anglos cum Hibernis, Scotos, Hungaros, Bohemos, Polonos, Gallos, Hispanos item et Italos. Sed in Italia et Hispania, saevitiâ Inquisitorum, rogisque accensis, in ipso ortu exstincta; in Gallia etiam, Hunga-

ria *) Polonia et Bohemia, variis diu casibus insequenti etiam tempore exercita, antequam publica sanciretur auctoritate; at publice eadem hoc jam tempore, (ad pacem religiosam Augustanam, excessumque Caroli V.) recepta, dominansque, ut dicitur, religio facta erat, praeter memoratas Germaniae et Helvetiae partes, in Borussia, Svecia, Dania, et Norvegia. Sub ipsa vero insequentis aetatis initia, jus civitatis eadem principatumque, post multas vicissitudines, adepta, in Anglia, Scotia, atque aliquanto serius etiam in Belgio Foederato. Ac horum quidem, quos recensuimus, populorum, Germani, Borussi, Sveci, Dani et Norvegi Augustanam, Helvetii, Angli, Scoti, Belgae et Galli cum nonnullis Germaniae populis, (doctrinam Lutheri prius professis, sed serius, quod fecere nominatim Palatini (1560. Frider. III.) ad scita Calviniana delapsis) Helveticam; Hungari, Poloni, et Bohemi utramque amplexi sunt Confessionem.

*) In Hungaria art. 1523: 54. *Omnes Lutheranos et illorum fautores etc. poena capitis, et ablatione omnium bonorum puniendos*; art. 1525: 4. *comburendos* eosdem; art. 1548: 11. *Sacramentarios* (Zwinglianos) *expellendos esse*, statuit: reliquae leges universae religionem Catholicam non persecutione aliter sentientium, sed diligenti ac liberali institutione, vitaque eorum, qui docent, praeceptis suis consentanea propagari volunt: multas nihilominus Reformata religio inde a Rudolphi II. temporibus subeundas habuit vicissitudines.

Effectus Reformationis ita ditatae multi ac magni fuere; inter praecipuos numerandum, quod

1. In Statibus tam Catholicis, quam Protestantibus, multo, quam antea, majus religio in rebus publicis momentum habere caepit, animaque velut ac fundamentum *Constitucionum* civilium facta est.

2. In Statibus Protestantibus, veteri cum Sacra Sede conjunctione dissolutâ, amplissimisque Ecclesiae bonis passim *secularisatis*, opes Regum auctae, cives locupletati, vincula ac compedes, quibus nimia nobilitatis et cleri, ex aevo adhuc medio residua potestas, regium imperium obstrictum velut tenuerat, levatae sensim ac solutae.

3. In ipsis etiam Statibus Catholicis, opinio et auctoritas nominis Pontificii, aevo medio parta, non nihil imminuta, viaque ad liberius regnandum volentibus strata. Sed haec leviora omnia, illud etiam aliquanto majus, quod

4. Reformatio Sacrorum novum, idque ingens menti humanae adaperuit spatium, certamen ingeniorum in omni artium genere utile accendit, atque alas velut quasdam solertiae addidit. Vid. Ch. Villers Essai sur l'esprit et l'influence de la Reformation de Luther. 3. Ed. Paris 1808.

Inter sequelas Reformationis, ut ut remotiores, neque eas directas ac necessarias, jure etiam referimus nova imperii Pontificii praeridia, *Ordinem Jesù*, et *Concilium Tridentinum*.

Ordo Jesu a. 1534. ab Ignatio Loyola (Inigo, inde nomen Inighistarum) equite Hispano, illiterato illo quidem, sed exuberantis ingenii et propositi sui tenacissimo viro institutus, anno vero 1540-o a Paulo III-o Pontifice publicâ auctoritate confirmatus, et ab eo tempore continuis incrementis auctus, ad tantas repente opes, callida imprimis disciplinae ac doctrinae morum ad propensiones hominum, indolemque temporum accomodatione, progressus est, ut firmissimum futuris temporibus Romane potentiae praesidium esset adversus tot undique, post Reformationem Sacrorum, coortos hostes. Anno jam 1556, morte primi sui fundatoris, non universam tantum Europam occidentalem, in 9 provincias divisus (quarum 1 in Portugallia, 3 in Hispania, 1 in Gallia, 2 in Germania et Belgio, 2 in Italia erant) invaserat, sed reliquas etiam orbis partes, ope Missionum, tribus provinciis in Brasilia, Aethiopia et India institutis, ambitu suo complexus erat. Ordo a reliquis omnibus multum diversus, medio quasi loco inter Monachos ac Seculares Clericos positus, ad Canonicorum Regularium institutum propius accessit; habuit Collegia et

Seminaria, sed non Claustra; vestitum proprium ac peculiarem, sed non monachicum. Tota familia distributa erat in *Novitios*, *Scholasticos*, *Coadjutores*, et *Professos*. Horum Professi, quos solos veri nominis Jesuitas dixeris, numero paucissimi, iique exploratae omnes fidei, et longo usu exercitatissimi viri; reliquorum, qui sensu tantum latiori Jesuitae vocati, socii magis Jesuitarum, quam Jesuitae, pene infinita multitudo. Ordini praeerat *Praepositus Generalis*, solo inferior Pontifice. Ejus nullis limitibus circumscripta potestas, et supra omnes Generales Provincialesque congregationes auctoritas; curarum publicarum socii ac adjutores, ita dicti *Assistentes*, *Provinciales*, et *Rectores* (Ministri, Provinciarum Gubernatores et Vicegubernatores), sedes imperii Roma, inde universa societas, et magna pars orbis gubernata. Adjumenta, quibus tantum et partum et diutissime conservatum imperium, tria praecipua fuere, *Missiones*, *educatio juventutis*, *peccatorum confessionis auditio*. Finis laborum ac contentionum omnium summus atque ultimus, labascentem Pontificis potentiam fulcire, ac videre, ne quid detrimenti Sedes Romana capiat. Hinc tot molimina opprimendae, ac modis omnibus impediendae Reformationis, et, quam illa sentiendi ac cogitandi suscitarat libertatem, tollendi. Hinc imperii non in mentes tantum ac consci-

enti-

entias, sed in res civiles quoque extendendi cupiditas. Hinc odia, vicissitudines, et, post gravissima cum ipsis rerum publicarum moderatoribus suscepta certamina, interitus tandem Ordinis a. 1773. ut inferius pluribns exponetur. Vid. Wolff Allg. Gesch. der Jesuiten. 4 Tom. Ed. 2-a 1803.

Concilium Tridentinum sub 5 Pontificibus, Paulo III, Julio II, Marcello II, Paulo IV, et Pio V-o, ter intra 18 annos, peste, bello interpellantibus, convocatum, coeptum utpote anno 1545-o sub Carolo V-o, clausum Ferdinando I-o imperante anno 1563, id sibi propositum habebat, habere certe prae se ferebat, ut illustrata, digesta et emendata tam religione, quam disciplina, tristissimum in Ecclesia discidium tolleret. Id vero non modo non praestitit, sed, dum multa Doctorum Scholasticorum scita, de quibus libere olim in utramque partem disceptabatur, inter dogmata creditu necessaria temere retulit, aliterque sentientes diris omnes devovit: discidium, dissensionemque magis etiam confirmavit, et spem uniendae, quae distracta erat, Ecclesiae, in perpetuum sustulit. Melius multo dominationi Pontificiae, quam universae rei christianae, Concilium idem consuluit, non dogmatum modo, eorum imprimis, quae hierarchiae velificentur, accuratiori determinatione, sed, et vel maxime, *laicorum* (Princi-

pum et Magistratuum) circa sacra juris ac potestatis circumscriptione. Quare non est, quod cuiquam mirum videatur, multos ipsorum Statuum Catholicorum, vel nullo prorsus pacto, ut Gallos, vel certis tantum sub conditionibus, ut Hispanos (salvis utpote regum Hispaniae juribus) adduci potuisse, ut constitutiones Concilii Tridentini ratas haberent, publicaque auctoritate reciperent. Neque in Hungaria lege regni unquam confirmatae, quamquam usu pleraeque, quoad illud citra supremae imperantium potestatis injuriam fieri poterat, invaluerunt. vid. Schwartner Statistik. Ed. 2. Part. 3. Sect. VII.

CAPUT XXII.

Caroli adversa postremo tempore fortuna; imperii inde, vitaeque tandem taedium.

Fortuna plerumque, quos plurimis beneficiis ornarat, ad duriorem casum reservat. Id accidisse videmus etiam Carolo. Nimirum post domitam Italiam, fractasque quatuor bellis Galliae opes; post oppressam Germaniam, debellatamque Africam; post amplissimas Americae Meridionalis regiones, Mexicoviam, Peruviam et Chili, (illam quidem a. 1518—1523 virtute Ferdinandi Cortez, has decennio serius Francisci Pizarro opera ac fortitudine) imperio Hispanico adjunctas: armis simul a Mauritio Saxone, et rege Galliae Henrico II-o im-

petitus (1552), partam superioribus annis belli gloriam si non omnem amisit, multum certe obscuravit. Quis finis fuerit certaminis cum Mauritio occepti, dictum superius. Nec belli cum Gallis multo felicior eventus. Gestum illud, post pacem cum Mauritio partam, integrum fere triennium, fortunâ Gallis plerumque secundâ. Carolus, qui, flagrans vindictae cupidine, ad oppugnandas Metas, media hieme, accesserat, magna clade, coesis 30 suorum millibus, ab oppugnatione rejectus. Cum Gallis plerumque stabat victoria etiam in confiniis Belgii, qua parte Hispani, post cladem ad Metas acceptam, arma Galliae inferre parabant. In Italia improspere aeque a Carolo pugnatum, amissis compluribus Pedemontii locis, et in potestatem Gallorum redactis; quae omnia victores Galli, ut et occupatos Lotharingiae Episcopatus, Metas, Tullum et Verodunum, etiam Induciis (in Coenobio Vaucelles juxta Cameracum) a. 1556 Febr. in quinquennium initis, retinuere. Ad clades bello acceptas accessit morbus, vulgo podagra, affecto corpori magis in dies ingravescens; et, quod vel maxime aegrum animum afflixit, moeror ex filio Philippo conceptus, qui affectare regnum credebatur. Toedio inde rerum humanarum affectus, abdicato imperio (Belgii quidem Octob. 1555, Hispaniae autem Jan. 1556, in Germania 27.

Aug.) in fanum Sancti Justi (coenobium Hispanicum provinciae Extremadurae) secessit, ibidemque post biennium, debilitato admodum et corpore et animo, placide exspiravit anno 1558, aetatis 59.

Filius Philippus II, abdicante imperium patre, rerum illico in Hispania et Belgio potitus est, sed non id Germania, ordinibus Imperii patruum Ferdinandum ei praeferentibus. Ita distracto Austriae imperio, divisis opibus, timor ille, quem Coronae Imperatoriae, et Hispanicae conjunctio, non vanum olim toti Europae incusserat, dissipatus, idque hoc etiam magis, quo plus ambarum stirpium Principes, Ferdinandus Imperator, et Philippus rex, moribus, studiisque inter se dissidebant, ac discordabant.

AETAS III. 1556—1598.

Considerationes Generales.

Ad declarandam aevi hujus indolem, sufficiat commemorasse, primas ac praecipuas in eo partes egisse Elisabetham, Gvilielmum Arausionensem, Henricum IV, et Philippum II. Quorum qui vitas inspexerit, facile intelliget, civilia negotia religioni miscere, salutem civium et reipublicae, cum caussa religionis arcte conjunctam putare, atque inde privatarum saepe utilitatum, ac opum augendarum

occasionem captare, proprium istis temporibus fuisse. Inde Statibus plerisque turbatae res domi, gravia foris bella; longe tamen atrocissimum certamen inter Anglos et Hispanos, de religione simul et principatu contendentes. Hispano praeterea negotium grave etiam cum rebellibus Belgis, quos iniquitas, ac impotens dominatio Philippi II-i capere arma coegit, et bellum cum Hispanis suscipere, quod amplius 80 annis gestum, Hispaniam viris opibusque exhausit, Belgis autem libertatem paravit. Atque haec Belgarum insurrectio, cardo rerum, et artis politicae ejus aevi, attentione nobis vel maxime digna, primoque adeo loco, et paulo uberius enarranda videtur: reliqua, ut Anglorum et Hispanorum mutua inter se odia ac de principatu certamina; turbasqne intestinas, Reformatione cum in ceteris Statibus Europaeis, tum imprimis in Gallia excitatas, brevius aliquanto sumus persecuturi.

CAPUT XXIII.

Quid in universum de rerum in Belgio conversione sub Philippo II-o facta observandum?

Belgae arma capientes nihil aliud in animo habuerunt initio, quam libertatem, et antiqua, usu, legibusque roborata jura tueri; serius tandem, quum nec Philippum placare sibi, nec alium, qualem tempora poscebant, Domi-

num invenire potuissent, necessitate quadam factum est, ut in libertatem se se vindicarent. Id in antecessum monemus, ne quis, consilia eventis forte ponderans, istam rerum in Belgio conversionem, ex perturbationibus rerumpublicarum nostra aetate factis, aestimandam censeat; similesque ejus, atque harum fuere, ut causas, sic exitus exspectet ac sequelas.

CAPUT XXIV.

Status Belgicae ante Philippum II-um; turbarum sub eo initium; Compromissum; Albae in Belgium adventus.

Terra, seu Germania Inferior, vulgo Belgium, germanice Niederland, veterum Gallia Belgica, iisdem, quibus reliqua Germania, vicissitudinibus, aevo medio perfuncta, in pluresque minores provincias discerpta, seculo demum XIV et XV-o (1363—1467) in justi formam regni, uniusque imperii corpus coalescere coepit, sub Domo Burgundica, sub Philippo nominatim Bono, (1419—1467) qui praeter acerrimas cum cognatis regibus Galliae Carolo VI et VII-o contentiones, ampliatumque Domus suae imperium, instituto aurei velleris Ordine, in Historia memorabilis est. Hic filio Carolo, cognomine, Audaci, praeter Burgundiam, 12 provincias Belgicas moriens reliquit. Carolo, cui nomen tantum,

non opes ad regium imperium defuere, 10 post annis, dum Lotharingiam armis occupare studet, ad Nanceium caeso (1477), Burgundiam occupavit rex Galliae Ludovicus XI, provinciae autem Belgicae in possessionem venere Austriae, nuptiis inter Maximilianum Archiducem, postmodum Imperatorem, et Mariam Caroli Audacis filiam conciliatis. Ex hoc conjugio natus est Philippus, ob formae elegantiam Pulcher dici solitus, qui ductâ in matrimonium Johannâ Hispanica, Belgio cum Hispania conjungendo occasionem praebuit. Filius Philippi Carolus, Belgii et Hispaniarum Dominus, atque idem etiam Imperator Germaniae, provinciis Belgicis, quas a majoribus possessas haereditate acceperat, quinque alias adjecit, atque adeo primus universas 17 Belgii provincias tenuit; easque nomine Circuli Burgundici, ut aliquo inter se vinculo continerentur, Imperio quidem Germanico adjunctas (1548), non tamen ideo suis juribus ac privilegiis spoliatas, ita gubernavit, ut multum sui desiderium Belgis suis moriens reliquerit. Aliis longe artibus regere rempublicam coeperat Philippus II.us. Nam et Reformationem, in multa Belgii parte receptam, penitus exstirpare; et Conventus Ordinum, potestatemque tollere, totam denique gentem in formam provinciae redigere, ac sub leges Hispanicas trahere decreverat. Hoc

consilio, novi per Belgicam Antistites renuntiati, non sine gravi multorum, in his etiam Antistitum Ecclesiae veterum offensione; Hispanica Inquisitio introducta; praesidia Hispanica per totam regionem disposita, sed mox revocata, in gratiam ne querentium Belgarum, an remedium cladis a Turcis acceptae, dubium; Proceres Belgarum a republica sensim amoti, summa rerum, Philippi in Hispaniam discessu (1559), ad Margaretham Parmensem, Caroli V filiam, extra matrimonium susceptam, nomine, re ipsa ad Cardinalem Granvellam, (Antonium Perrenottum, natione Burgundionem) delata, virum dotibus ingenii eminentissimum, sed astutum, fraudulentum, et dum opes regias augeat, nil pensi, neque sancti habentem. Hunc praecipiti omnia studio molientem, Belgisque, ob eam rem, invisissimum, triennio post (1562), odiosa potentia dimovit Philippus, non tamen idcirco infensum Belgis deposuit animum. Nam et judicia per Inquisitores ulterius quoque immisericorditer exerceri, et Synodi Tridentinae (1563) placita, ne ipsis quidem Hispanis probata, publicari, ac recipi imperavit. Belgae interim libertatem suam, legesque ipsa antiquitate venerabiles subrui hoc etiam vehementius indignabantur, quod his imprimis florentes opes suas acceptas ferebant. Questi igitur saepius, cum nec precibus, nec li-

teris accuratissime, futurique velut praesaga mente scriptis, nec legationibus Madridum ad regem missis quidquam proficerent: nobiles numero 400, in his etiam Romanae religionis multi, ceterum regiminis omnes exsortes, foedus inter se contra Inquisitionem faciunt, et a. 1566-o 5-a Apr. universi inermes in Curiam Bruxellensem, ubi Margaretha cum reliquis publici consilii moderatoribus consederat, veniunt, preces suas, ita enim appellabant, ostendunt. Summa precum (Compromissum vulgo dicunt) haec fuit, ut Inquisitionem rex tolleret, Edicta super religione, de ordinum Belgicorum sententia, mutaret. Quod cum Praefecta suae potestatis esse negaret, placuit rem integram ad regem in Hispaniam deferri, inde responsum exspectari, interea judices ac quaesitores juberi cognitionem prudentia temperare. Tunc primum auditum est illud nobilitatum serius Gösiorum (Gueux vox gallica mendicum notans) nomen, quo cum ambesas fortunas foederatis alii exprobrarent, ipsi in honorem, appellationem ad contemptum excogitatam, traxere, crebrisque postmodum sermonibus usurpavere, ad invidiam regi, rerumque per eum potitis, comparatione fortunarum, conflandam. Certis interea, et in dies atrocioribus nunciis, de implacabili regis ira, in Belgium ex Hispania allatis, et Philippo, conventus ordinum, quod fidissimae

quaeque civitates orabant, svadebantque, habiturum se pernegante, imo armis rem expediturum palam minante: fit ingens, incertis ducibus, vilissimae plebis seditio. Quae dum multitudo in templa, imagines, sacerdotes, passim per oppida, perque vicos grassaretur, gliscentis periculi metu pertracta est Margaretha, ut promitteret, Edicta, ad futuros Ordinum Conventus, cessatura, veniamque poenitentibus cunctis futuram. Id promissum a Praefecta, ut ut postea non praestitum, remedium mali praesentis fuit. Protinus renuntiare foederi nobiles; plebs ad officium et ordinem reverti; quieta ac tranquillata omnia videri. Sed pacem disturbat Philippus, dum vindictae magis, quam ingruentis inde sibi tempestatis memor, Ducem Albae (Ferdinandum Alvarez Toletanum) virum sangvine semper et bello exercitum, militari potestate in Belgium mittit a. 1567.

CAPUT XXV.

Inaudita Albani crudelitas; fuga et caedes Belgarum; spes omnis in Gvilielmo Arausionensi reposita; ejus consilia; Requesensii praefectura, mors; Foedus Gandavense.

Albae in Belgium adventu 1567-o, nobiles plerique et multa plebs, formidine Hispanorum, in Germaniae proxima, Angliamque et longinquiora dilapsi, fugiunt; Margaretha va-

num non nisi honoris nomen, non imperium se dehinc habituram videns, regimen, quod muliebri langvore corrupisse credebatur, sponte deponit, abituque suo summam Albano praefecturam patefacit. Ille vero confestim *Tribunal*, *Tumultuum* ab ipso (Conseil des Troubles) *Sangvinis* rectius ab aliis appellatum, constituere, caede civium, direptione fortunarum, iram atque avaritiam explere; nec nuperi tantum tumultus, foederisque nobilium socios, suspectos, aut invisos, sed unde praedae aliquid sperare posset, capitis omnes anquirere, ad supplicium dedere. Inter multa carnificatorum millia duos sufficiat nominasse, Egmondum et Hornanum comites, viros confessione omnium eminentissimos, factis non minus quam genere claros, quorum abscissa cervicibus capita, palis publice suffixa aliquamdiu pependerunt (1568), multâ omnium, super atroci adeo spectaculo, miseratione, audentiorum etiam indignatione, cum desiderio ulciscendi nobilissimi sangvinis, coorta. Auxere terrorem allati ex Hispania nuntii: missos de maximis rebus Belgarum proceres, frustra fas gentium, sanctumque vel inter hostes legationis nomen pro se allegantes, partim publico supplicio, partim veneno in carcere sublatos; necatum praeterea jussu patris Carolum, unicum, eo tempore, Philippi, e Maria Lusitana, filium, sive matura imperio juventa,

nataqnè inde affectati per eum regni, structarumque patris vitae insidiarum, (ut proxime Llorente Hispanus, in Historia Inquisitionis Hispanicae a. 1817 in lucem edita, Tom. 3-o evincere nititur) suspicio, sive idem crimen ipsum et novercam (Elisabetham, Caroli Galliarum regis sororem, quam, filio prius desponsatam, nubere sibi pater coegerat) abstulit.

Horrido hoc paternae immanitatis exemplo, attoniti Belgae, nullamque in rege, qui proprio filio non pepercisset, veniae ac salutis spem superesse sibi videntes, arma coacti capiunt, periculum audacia discussuri. Sed viribus Hispano necquaquam pares, et victi facile, exitium vix effugissent, nisi unus vir fuisset, Guilielmus, Arausionensium (Orange urbs *Provinciae* Gallicae) Princeps. Origo illi ex illustrissima gente Ducum Nassaviae; possessiones in Gallia et Belgio amplissimae; animus ingens, et quantaevis fortunae capax; par animi magnitudini consilium; in conciliandis hominum mentibus rara felicitas; summa apud omnes auctoritas. Aulae regiae a puero alumnus, intima apud Carolum V-um admissione, et per eum, ut ut juvenis, in maximis saepe rebus adhibitus, mature animorum rerumque addidicerat regimen. Inde timere hominem Philippus, et odio habere. Sed odium dissimulandum tantisper ratus, simu-

lata dum caperet benevolentia, discessurus in Hispaniam, tribus eum provinciis, Hollandiae, Zelandiae et Trajecto praefecerat. Ille, quae sibi pararentur insidiae, probe gnarus, rebus turbari caeptis, cum frustra missionem per literas a Philippo flagitasset, adventante, cum exercitu, Albano, Nassaviam opportune petit, fratri Ludovico possessam, atque ita e communi exitio servatur patriae. In hunc oculi nunc omnium conjecti, in hoc uno homine spes omnis afflictae sita est reipublicae. Quam suorum de se exspectationem neque fefellit. Nam posteaquam jus, caussasque et necessitatem armorum scripto evulgasset, objecta sibi per Albam crimina refutasset, oppignoratis magno animo facultatibus, exercituque, partim exulum, partim auxiliarium Germanorum, collecto, bellum a. 1568 aperte suscipit, fretus non tam viribus, quam causa sua, et tyrannidis, quam oppugnatum proficiscebatur, odio. Neque enim Philippo regi, (de quo non esse desperandum usque contenderat, fore, ut aliquando, meliora edoctus, fidam gentem, juratasque leges respiciat, interim erroribus ejus, ex lege Brabantica, obsequium non deberi) sed humanarum divinarumque legum superbissimo contemptori, Albano, communi pro salute, depellendoque patriae servitio, arma se ferre palam testabatur. Primo conatu repulsus, et per Albanum

non pugnando debellatus, exercitu, fame, rerumque omnium penuriâ, dilapso, in Germaniam rediit a. 1569, non tamen ideo, aut animum despondit, aut consilium mutavit. Albanus interim sacrato ense a Pontifice donatus, sibi statuam Antverpiae poni, Belgis inaudita tributa imperat, in obloquentes, sublata ad regem provocatione, ut lubitum est, saevit, gentemque universam ad desperationem adigit. Omnibus tum vindictam ac defensionem cogitantibus, in spem rei gerendae excitatus Arausionensis, bellum denuo experiri a. 1571, opemque Principum Protestantium, in causa quodammodo communi, implorare statuit. Sed apud plerosque timor potentissimi regis Hispaniae plus, quam necessitudo valuit. A Dano et Sveco nihil impetratum; Angli et nonnulli Ordinum Germaniae, aegre, ut clandestinum saltim praestarent auxilium, inducti; pecuniae ex Gallia, cum milite, submissae, non auxilium Belgis, sed structae Gallis Protestantibus a rege suo insidiae verius fuerunt. Ita, quum propriis maximam partem viribus, ulterius quoque, tanti moles belli Arausiaco sustinenda, ac mox domesticis etiam difficultatibus, populari, ut fit, invidia, suorumque ingeniis conflictandum esset, victus iterum, succumbere jam fortunae, totaque cum eo respublica procubitura videbatur, cum ecce inopinata quadam re, eaque, si initium spectes,

tenui, et Belgae periculo liberati, et hostes in summas repente angustias conjecti.

Multi Belgarum, quibus nec animus manendi domi, nec opes tolerando foris exilio, mari salutem quaesiverant, et, posteaquam obvias Hispanorum naves quasdam, per vim, occupassent, aucto numero, praedabundi, per oras maritimas vagabantur (Anseres et Gösii, seu Mendici maritimi). In hanc multitudinem Arausionensis, quamquam jus et regimen aberant, speciem imperii retinebat, distributis, per codicillos (Caperbriefe), potestatibus. His tum ministris moderatrici rerum humanarum providentiae uti visum, ut inanes hominum contentiones, opemque divinam, ubi minime reantur, praesto esse, insigni aliquo exemplo testatum mortalibus redderet. Viginti quatuor naviculae, e portubus Anglicanis, quo frequens ante commeatus praeda onustis, tutissimusque erat receptus, metu periculi ab Hispanis ob eam rem denunciati, ejectae, et Brilam (Briel) vento adversante, appulsae, capto ex necessitate consilio, urbem natura loci munitissimam, sed minus forte diligenter custoditam, repentino terrore invadunt, et, antequam subvenire Hispani possent, trepidantibus aut volentibus oppidanis, capiunt 1 a Apr. a. 1572, captam festinatis operibus muniunt. Ea re signo velut pugnae dato, arma Hollandi, Zelandique certatim capiunt, et proturbatis arte

ferro Hispanis, conventuque Ordinum Dordrechtum indicto, Gvilielmum, quamvis absentem, rectorem sibi, (utpote acceptâ a Philippo praefecturâ, nec ullo legitimo judicio ablatâ) simulque belli ducem, adversus Hispanos, hostilia in provinciam pacatam ausos, eligunt 15 Jul. 1572. Trifariam tum bellum inferente Arausiaco, tumultuque mox a populis Septentrionalibus ad Meridionales etiam perlato, Albanus, ut contra singulos ferox, ita universis impar, sollicitus famae, violentiamque suam parum alioquin procedere videns, missionem, praetextu senectutis, a rege ultro petit. Revocatus igitur a. 1573 o, dissimillimum sui successorem, Requesensium nanciscitur, virum placidum, ac comem ultra, quam Hispanis solitum, sed timidi, ac fluctuantis animi, civilium, quam bellicarum rerum scientia clariorem. Hic obviam ire propalam non ausus, pacis, ac benevolentiae ostentatione — quò pertinebat imprimis Statuae Albani demolitio — mollire impetum Belgarum, consiliaque discutere statuit. Dum in eo conatu est, bello interim non intermisso, Belgae pelago exercitatiores, devicta gravibus praeliis Hispanorum classe, Middelburgum (in insula Zelandiae Walcheren) diuturna fame expugnant; Hispani contra terrestri certamine superiores, Ludovicum Nassavium, consilio, manuque inter promptissimos, cum copiis

piis, quas fratri Gvilielmo adduxerat, ut Hollandiâ hostem detraheret, prope Neomagum (Nimwegen) caedunt 1574. Hollandis ea re perculsis, de concordia Bredae per legatos agi coeptum 1575. Sed, cum Requesensius arma statim deponi, urbes, arcesque cum navibus tradi, religionis turbatores, intra praestitutum tempus patria exterminari postularet, contra ea, impunitatis veniaeque apud regem, nec satis certam, nec aequam omnibus spem ostenderet: legatis Belgarum conditiones istas, ut armis saeviores, detrectantibus, irrita re discessum est. Repetito ita certamine, inclinatis Belgarum rebus, subita imprimis Requesensii mors (5-a Mart. 1576), et militis Hispani, ob stipendium rite non solutum tumultuantis, insolentia profuit, ad quam coercendam coactus est paucis ante mortem edictum Requesensius proponere, quo plebi rusticae armandi se, et contra violentos grassatores defendendi potestatem faciebat, exemplo sane pessimo: plebs enim semel sumta arma nunquam postea, ne jussa quidem deposuit. Morte Requesensii, interregno 8 mensium secuto, dum senatus regius, vices imperii tuitus, studiis inter se dissidet, milesque Requesensianus, irâ, et licentiâ simul animos stimulante, opulentissimas civitates, in his Traiectum ad Mosam, et Antverpiam flamma, ferroque miscet: magnâ ad haec quaqua-

versum indignatione coortâ, atque interim Arausionensi nihil intentatum relinquente, quo Belgas sibi, et inter se conciliaret: foedus contra Hispanos, provinciarum, — praeter Luxemburgos — omnium, Gandavi (Gent) coalescit 8-a Nov. 1576, solenni Ordinum juramento confirmatum, non prius a foedere, et armis discessuros, quam Hispani finibus summoti, negotium religionis comitiorum auctoritate constitutum, edictaque contra novatores religionis revocata fuerint.

CAPUT XXVI.

Johannis Austriaci, et Alexandri Parmensis molimina; Unio Trajectina; Gvilielmi caedes, novum inde orientis reipublicae discrimen; Mauritius pacator ac liberator patriae; Induciae duodecennes.

Fama foederis Gandavi initi in Hispaniam perlata, rex cedendum tempori ratus, latas a foederatis conditiones publice confirmat, clam interea statuit occasiones opperiri distrahendi foederis. Idem in mandatis datum etiam Johanni Austriaco, fratri regis notho, quem rectorem Belgicae Philippus, post Requesensium, miserat, partim ut speciem servandarum dehinc legum praeberet tam propinquus sangvis in regimen missus, partim, ut juvenis acri, et excellenti ingenio, clarus navali in Turcas praelio, insuper etiam gratia Pontificis florens, rerum majorum meditamentis a-

velleretur. Nondum summam praefecturam adierat Austriacus, quum eum servandae pacis mandata palam praeferentem, ad contraria omnia a rege missum esse, interceptae docent literae. Inde propositum Arausiaco, manifestum vindictae et fraudis regiae ministrum, inermem adhuc, et in finibus agentem, bello occupare. Sed salutare consilium, paucorum invidiâ, atque malevolentiâ repudiatum, et Austriaco potestas capessendi imperii, consensu ordinum, facta, non sine pactione tamen (Febr. 1577.), ut prius Hispanum militem, deinde exteros omnes dimitteret. Dimissi confestim Hispani, scelere et praeda 10 annorum onusti; sed vixdum Italiam, in reditu, ngressi erant, cum Austriacus, aut morae, juveniliter, impatiens, aut tempus esse ex latebris prorumpendi ratus, et illos universos reverti jubet; et ipse Namurcum interea, cum aliquot ad eum limitem oppidis, occupat; Germanicas cohortes, quae, stipendiis necdum solutis, in Belgio manserant, ad deditionem urbium sollicitat. Luce tum clarioribus insidiis, violatae non obscure pacis Austriacus apud Regem accusatur; Arausionensis autem, redintegrato certamine, a rerum potentissimis Brabantis ad Praefecti dignitatem evehitur. Adeo nihil verae virtuti, famaeque viri, nec religionis odium, nec privatae quorundam offensiones officere poterant.

Perpulere tamen adversarii, qui illum unum pluris, quam se universos fieri, aegre ferebant, ut Matthias, Imperatoris Rudolphi frater, in regimen vocaretur; sed imperium ejus, Arausiaco vicariâ potestate concessa, ita circumscriptum, ut nihil invito Arausionensi facere posset. Interim Johannes, receptis Hispanis, ingentibusque copiis auctus, quas illi sororis Margarethae, Belgii quondam rectricis filius Alexander Parmensis ex Italia adduxerat, exercitum Belgicum, gravi praelio vincit, ad oppidum Brabantiae Gemblacum 31-a Jun. 1578. Sed ipsum non multo post subita vis morbi rapuit 1-a Oct. Multi veneno infinitae ambitionis juvenem a Philippo occupatum periisse scribunt, alii indignatum, quod gloriam suam ab inimicis, et a rege, cui serviebat, ultro impediri videret.

Johanni suffectus Parmensis, praeter eximiam rei militaris scientiam, artes quoque Belgis capiendis maxime idoneas, simulandi et dissimulandi ex Italia secum adduxerat. Occultis hujus suscitationibus, dissidia Belgarum vehementius etiam exarsere, maxime, posteaquam Ordines, omnia malorum remedia frustra experti, vi, ac imperio cum turbulentis, ac refractariis agere coepissent. Sic male cohaerentes provincias, nec jam fere quidquam praeter odium, et metum Hispanorum, commune inter se habentes, promptum divellere

fuit Parmensi, clementiae regiae, et impunitatis ostentatione. Primi omnium Wallones, seu Gallo-Belgae, (Atrebates, Flandri, et Haenovii) maximum militiae robur, regiis partibus reconciliati (21. Maii 1579.); secuti deinceps ordine populi, quibus, professione religionis Catholicae, minus probatus Arausionensis, minus metuendus erat Philippus. At Arausionensis, tot inter partes medius ipse, et, ne pariter cum republica ludibrium hostibus, atque adversariis fieret, veritus, quam primum Gallo-Belgicos Proceres ad defectionem spectare intellexit, saluberrimo ad res suas consilio, Ordines Provinciarum Septentrionalium (ubi nec tot, nec tam potentes familiae primores, eoque minor regendi difficultas; religio fere omnibus eadem, idem metus, eaedem spes, et hoc ipso maior animorum conjunctio) Trajectum Batavorum evocatos, arctiori omnes foedere illigavit 23 Jan. 1579. Primi foederis socii Hollandi, Zelandi, Trajectini, Geldri, et Groeningani; paulo serius in societatem allecti Frisii, et Transisalani, aliquot praeterea non conetmnendae Belgii Catholici, Flandriae nominatim, et Brabantiae urbes, in his Gandavum, Breda, et Antverpia.

Foedere Trajectino jactum libertatis fundamentum; quamquam obsequium Philippo, necdum a foederatis renunciatum, imo legati

ab iis ultro Coloniam missi, ad pacem coram delegatis a Caesare viris denuo tentandam. Sed conatus successu caruit, Philippo, cautionem, qualem res, et foederati poscebant, praestare; novatamque religionem, praeterquam in Hollandia, et Zelandia, tolerare, prorsus detrectante. Arausiaci seorsim tentata, per regem, constantia, sed illum non promissa filio, qui captivus in Hispania detinebatur, libertas, non amplissima ipsi, et posteris proposita regiae benignitatis proemia poterant a communi causa avellere. Dum Coloniae de pace agitur, impetu expugnata interim ab Alexandro Parmensi urbs munitissima Trajectum ad Mosam; receptae inde urbes aliae innumerae (1580), Belgis, qui in gratiam cum Hispano reversi erant, deditionem facientibus. Rebus ita constitutis, Foederati, undique impendentis periculi metu, cum nec pecunia in militem, nec miles, pecunia deficiente, ad hostium vim sustinendam, suppeteret, auctore Arausionensi, de patrocinio potentis alicujus principis implorando, et summa rerum ad eum, a Philippo transferenda, consilia ineunt. Hispanum nec magnitudo rei, nec auctor latuit. Proscripto eam ob causam Arausionensi, et praemio 80,000 aureorum ad caput ejus ab aula Madridensi proposito, non modo non deterriti ab incepto Ordines, sed alacriores etiam ad exsequendum

propositum redditi, imperium Philippo, ob violatas leges, solenniter abrogatum (20 Jul. 1581), Francisco Alenconio Andium Duci, Regis Galliarum fratri, certis conditionibus deferunt, fiducia magis Gallici subsidii, quam ullo in Franciscum studio. Matthiam, posteaquam dignitatem, quam tueri se posse desperabat, sponte abdicasset, cum gratia, ac muneribus dimittunt.

Alenconius, ex Anglia, quo nuptiarum, cum Elisabetha regina conficiendarum, firmandique futuri principatus caussa, navigaverat, ineunte a. 1582-o in Belgium transvectus, solenni statim ritu, et magnifico apparatu inauguratus est, data publice fide, remp. non ad arbitrium, sed juxta praescriptam juris, et legum formam, administraturum. Id ille jusjurandum populo datum non diu servavit. In regno enim educatus, et asvetus more regio vivere, cum precarium imperium, legibus, et instituti nuper ab Arausiaco seuatus auctoritate circumscriptum ferre non posset, oratâ aliquoties, nec obtentâ mutatione, potentiam vi munire, et primarias civitates armis occupare statuit. Nec defuit successus, ubi praesidia Gallorum praevalebant; sed ab Antverpia, quam maximam urbium, summum dominationis impedimentum, ipse sibi invadendam sumserat (Jan. 1583), strage suorum, an ignominia, majori rejectus, ubi insaniam cae-

pti eventu didicit, pudore, et conscientia confusus, rerum omnium egens, imperitus vadorum, quae plurima regio habet, vix tandem magno cum discrimine in tutum evasit. Foedo hoc de republica per insidias subjuganda consilio, animi Belgarum, ne ante quidem satis aequi Gallico nomini, vehementius offensi; mitigati tamen, non sine magno negotio, per Arausionensem, partim superiorum Francisci, in tuenda armis libertate, meritorum, ac benefactorum commemoratione, partim juvenilis imprudentiae excusatione, partim denique proposita periculi magnitudine, praeter Hispanum, mox a Gallo etiam, si perseveratum in ira fuerit, procul dubio orituri. Coeptum igitur de concordia agi, re eo minus moram patiente, quod Parmensis, captis aliquot oppidis, Brabantiam infestans, necessitatem opis Gallicae faciebat. Sed Franciscus, inter colloquium, quod magna utrinque contentione, Dunquercae institutum, in Galliam se, insperantibus cunctis, contulit, sive ut in gratiam cum rege, quem suscepto tumultuantium Gallorum patrocinio offenderat, rediret, sive ut, cedendo invidiae, absentiâ desiderium sui excitaret. Temporaria certe profectio fuit, neque, dum vixit, adire eum legationibus Belgae desierunt, ut hostili ferro, civilibusque discordiis debilitatae Flandriae suppetias veniret: sed ille nunquam amplius Bel-

gium remeavit, morte a. 1584 Jun. interceptus. Paucis post diebus (10 Jul.), summum rerum Belgicarum momentum, Arausionensis, posteaquam saepius, non sine magno vitae periculo, appetitus, percussoribus, praeter propositum ab Hispano praemium, etiam partium, et religionis fervore, certatim ad scelus invitatis, ultimum, a Balthasare Gerardo Burgundione Delfis (Delft), annum agens 52, ex insidiis interfectus est. „*Ordines* (verba sunt Thuani, aequalis illorum temporum, alienae, et „gentis, et religionis, consensuque omnium „gravissimi viri) *prudentiam eius, constantiam, „magnanimitatem, aequitatem, patientiam, ac „moderationem, quae virtutes vix fortasse in „ullo mortalium tantae simul fuerunt, necessa„riis temporibus experti, ut dolorem testaren„tur, ingenti, ac regia prope pompa exsequias „celebrarunt.“ Sed multo majus morti decus adtulit publica universi, inter multas lacrimas funus prosequentis, populi moestitia, ac prope desperatio. Solatio fuit, quod filium secundo genitum Mauritium, qui tum decimo octavo aetatis anno, Lugduni Batavorum, sapientiae studiis inhaerebat, ob eminentem in adolescente maturae virtutis indolem, in partem curarum publicarum, paternaeque dignitatis, concreditâ Hollandiae, et Zelandiae praefecturâ, admittere licuit. Cura dein externi auxilii, et reipublicae foris communiendae ha-

bita; quam, sublato Arausionensi, mala, ac pericula omnia, seditio intestina, defectio sociorum, victor, ac valescens in dies hostis circumstabant. Quum diu dubitatum esset, Angliae, an Galliae vellent adjungi: praelata tandem Gallia, et Henricus III. aequioribus aliquanto, quam frater Franciscus nuper, conditionibus ad regimen vocatus. Illi non ingratus honos, sed rerum suarum satagenti, alienis immisceri turbis tutum non videbatur. Ad Elisabetham inde recursum, quae hoc ipso difficilior, quod secunda adibatur, praeterea et famam, fortunasque suas, rebus adhuc dubiis, tam arcta societate implicare verita, oblatum sibi principatum aeque renuit, auxilia tamen, equites mille, peditum 5 millia, et consilii publici moderatorem Comitem Leicestrium misit (1585 Nov.), pactis super ea re Londini conditionibus, et pignori per Belgas, urbibus maritimis, Brila, Vlissinga, Castelloque Zeburgo obligatis. Adveniens in Hollandiam Leicestrius, sic initio, egregia virtutum simulatione, animos omnium ceperat, ut homini extero, moribus, etiam suorum judicio, minime inculpatis, nullodum ingenii experimento, praefectura totius Belgicae, qualis Caroli temporibus fuerat, summum terra marique imperium permitteretur, cum pecuniae publicae administratione. Sed brevi, cum, missis caeteris, una muniendae dominationis

suae cura occupatus, magistratuum auctoritatem labefactare, concordiam ordinum et populi turbare, rempublicam consiliis suis ultro velut profligare velle videretur, admiratio versa in invidiam; Leicestriusque, simultatibus ad aperta demum odia erumpentibus, post vim, exemplo Francisci Andium Ducis, infeliciter tentatam, pudore male procedentis audaciae, coactus est in Angliam redire (Dec. 1587). Ubi abdicare praefecturam a Regina jussus, et anno insequenti, morte fatali, an voluntaria absumtus, Belgas periculo, quo nullum gravius adierant, exemit. Foris nihilo laetior sub Leicestrio rerum facies, totâ Flandriâ, ac Brabantiâ, qua parte Foederatis paruerat, vel armis domitâ, vel per deditionem ab hoste receptâ. Non tamen illa foederis cum Leicestrio, et Elisabetha societas inutilis erat Belgis, si quidem insidiae Leicestrianae, observatique ea occasione defectus, reipublicae melius ordinandae, constituendo nominatim *Statuum Generalium* conventui; data autem publice auxilia, bello inter Angliam, et Hispaniam necessario ansam praebuere, quo semel accenso, Anglia, nisi ipsa se perditum ire vellet, non poterat causae Foederatorum non favere. Atque ab hoc imprimis tempore res Belgicae firmari, ac augeri caeptae sunt. Initium crescentis potentiae fuit, Flandriae, et Brabantiae, exhaustis bello opibus, ruina, flo-

rentissimorumque Antverpiae commerciorum, post receptum collo jugum Hispanicum, ad Hollandos Amstelodamenses facta translatio. Sed longe plurimum orienti libertati, ac reipublicae profuerunt, versa a Philippo per id tempus in Anglos (1588 Classis Invincibilis) et Gallos (1590) arma: quibus dum bellis distinetur Hispania, debilitaturque, spatium Belgae colligendi sui, materiamque crescendi amplissimam nacti sunt. Mauritius, discessu Leicestrii, imperator bello praefectus, re strenue gesta, — maxime, posteaquam Parmensis in Galliam, adversus Hugonottas, et Henricum IV-um missus, — proximo triennio (1590—92 Bredâ, Zutphaniâ, Daventriâ, Noviomago (Nimvegen), Hulsto, Coevordiâ, Stenovico, etc. receptis) non hostem modo a finibus patriae removet, sed satis habere cogit, sua si tueri liceat. Cumulandae Hispanorum cladi, Alexander Parmensis, quo duce validior, quam copiis, res Hispanica erat, ex vulnere, quod in obsidione Rothomagi (Rouen urbs Galliae Septr.) acceperat, alienissimo suis, contra opportunissimo Foederatis tempore moritur a. 1592. Dec. Qui post eum summae rerum in Belgio praepositus, Comes Mansfeldius, senecta jam debilis, precarium imperium, quod anno non longius tenuit, Ernesto Austriaco, Matthiae, Belgicae quondam Rectoris fratri germano (1594) tradidit. Hic,

nullo rerum gerendarum usu, nulla moderandorum animorum prudentia, pace irrito conatu tentata, vertente anno (1595) morte sua locum fecit habiliori se fratri, Cardinali Alberto, quem, ob probatam in Portugallia gubernanda fidem, atque virtutem, rectorem, ac Dominum Belgis, sibi generum Philippus delegerat. Per has regiminis vices, regentiumque inertiam, Mauritius, quem successus ipse audentiorem in reliquum certamen dabat, Gertrudisbergam, quod unum oppidum, a suo corpore velut avulsum, Hollandiam lacerabat, in conspectu exercitus Hispanici expugnat 1593-o; anno insequenti Groeningam, deditione captam, foederi adjungit; mox occasione belli Gallici (1595), seditionumque, in exercitu Hispanico, ob non soluta stipendia exortarum, Brabantiam, et Belgarum ultima armis incursat. Mari non segnius rem Foederati gessere, debellata classe Hispanica, et commercio, quod in Hispaniam, et Portugalliam, flagrante bello, interclusum erat, ad remotissimas Indiae oras feliciter propagato, irreparabili Portugallorum, qui Hispanis tum parebant, jactura.

Vidit tandem Philippus, Foederatos, facto, Statuumque potentissimorum Angliae, et Galliae judicio (1594), liberos, armis ad officium reduci amplius non posse. Quare, quod ferro, ac vi consecuturum se desperabat, ar-

te, doloque aggressus est efficere. Desponsatâ enim Alberto Isabellâ filiâ, huic, abdicatam a se Belgii totius possessionem doti dat a. 1598, propriis dehinc legibus, separatim ab Hispania, sub clientela tamen Regum Hispaniae (titulo feudali) regendam, ad eosdemque redituram, si improle matrimonium, aut stirps exstincta fuerit; sperans, ista cessione, ac separatione imperii, Foederatos decipi, sublatoque dominationis Hispanicae metu, induci posse, ut paciscantur, et jugum, quod multo labore excussissent, sponte sua recipiant, hoc praesertim tempore, quo, pace inter Hispanum et Gallum apud Vervinos parta, auxilio Galliae, ad sublevandas opes suas, diutius uti nequeant. Sed Foederati, non ignari, ad minuendam nonnisi rei invidiam, repertum filiae nomen, huic jus precarium, et inanem possessionem, Hispano imperium isto pacto ac dominatum parari, oblatam sibi conditionem repudiant. Bellatum igitur post mortem quoque Philippi II-i, (anno eodem 13. Nov. insecutam) idque a parte Foederatorum mari praesertim, non improspere. Mauritius a. 1600 escensione in Flandriam facta, cum in eo esset, ut Neoportum, urbem maritimam, obsidione cingeret, superveniente, valido cum exercitu, Alberto, fere oppressus est. Sed ille, ubi nullam, nisi in victoria, spem reliquam videt, navibus, antequam manum con-

seruisset, amotis, atque hinc obstantem suis Oceanum, gratiam nemini facturum, inde hostem infestis armis imminentem, crudelem, ac perfidum ostentans, proinde aut vincendum illa acie, aut ebibendas, antequam effugium detur, marium aquas, obstinato ad mortem animo dictitans, victoriam prope e manibus hosti extorsit, eo insigniorem, quo propius interitum res erat; inde, desperata urbis expugnatione, (adeo non ad dimicandum modo vires hosti victo, sed, abundante multitudine, ad vincendum quoque superesse visae) conscensis Ostendae navibus, parta ingenti gloria, domum reversus est. Anno insequenti Ostendam Albertus totis viribus adortus est, urbem Flandriae, in potestate Foederatorum, situ maritimo, faciendis incursionibus maxime idoneam. Quam, inaudita fortitudine ac constantia defensatam, aegre demum, virtute Ambrosii Spinolae Genuensis, expugnavit a. 1604, post pertinacissimam 39 mensium oppugnationem, absumtaque, parte ab utraque, 150 hominum millia. Sed acceptum Ostendâ amissâ damnum, cum foenore Foederatis pensatum, Rhenoberga, Ardenburgo, et Slusa Flandriae, interea a Mauritio captis. Instituta per id tempus (1602) *Societas Indiae Orientalis*; cujus incredibili successu invitati alii, serius (1607) in similem *Indiae Occidentalis Societatem* coierunt. Agi interim de pace caeptum, Hi-

spanis bello penitus exhaustis; Belgis, ut ut terra, marique superioribus, non tamen a pace alienis, quod morte Elisabethae (1603) destitutos se ope Anglorum viderent. Sed multae, magnaeque pacem volentibus difficultates: nam inducias tantum, et recreandis viribus temporis exigui moram Hispanus, pacem ac finem controversiae Foederati volebant; Hispanus, amisso imperio, spem saltim recuperandi eius relinqui sibi, Belgae confessionem libertatis suae ante omnia fieri; ille navigationem, et commercia Indiae Orientalis soli sibi vindicare, hi jus armis quaesitum ad illa quoque extendi, cupiebant. Quae dum disceptatio tenet, egregia interim Foederatis parta mari victoria duce Hemskerkio, qui, navibus ad infestanda Hispaniae littora missus, classem Hispanicam, suâ multo numerosiorem, in freto Gaditano, gravi proelio superatam combussit, factique nobilissimi gloriam sua morte redemit. Perculsi ea re Hispani, ad omnia alia faciles, unam finiendi belli conditionem, ut solenni icta pace, liberos palam Foederatos faterentur, suique ipsi jura et nomen imperii projicerent, obstinati recusabant. Foederatorum ab induciis alienissimi Zelandi, instigante Mauritio, qui praecidi sibi bello crescendi materiam aegre ferebat. Praecipuus foederis, in conventu Ordinum, svasor Barneveldius, Hollandiae

diae Syndicus, claris fidei, nec minoribus prudentiae documentis, rerum maximarum minister, et consilii auctoritate inter primos habitus. Postquam acriter diu certatum, conciliatoribus demum Gallis (Jeannin), et Anglis, pactae (Antverpiae 1609) in 12 annos induciae, ea lege, ut possessas eo tempore pars utraque regiones, ac oppida retineret, commercia Indicana exercere Foederatos Hispani sinerent. Hic finis belli intolerabili Hispanorum tyrannide suscitati; hoc justae, ac legitimae apud Belgas Foederatos reip. initium.

CAPUT XXVII.

Philippi II-di in Hispania, Elisabethae in Anglia regimen; rationes, et fortuna utriusque in gerenda domi forisque republica; irarum, et belli causae; certaminis eventus. Mors Philippi; mors Elisabethae.

Quanta superioribus annis inter Carolum et Franciscum, non minor hoc tempore, quanquam minus diuturna, inter Philippum et Elisabetham intercessit contentio. Quam antequam explicare aggrediamur, juvabit ingenia Principum, mores, in administrando imperio rationes, consilia, res gestas, quanta maxima fieri potest brevitate, separatim commemorasse.

Philippus II-us summa rerum a. 1556 potitus, tot tantasque habebat opes, ac possessiones, a patre Carolo relictas, ut Principum,

qui tum vixere, omnium, et esset, et existimaretur potentissimus. Tenebat enim praeter Hispaniam, in Europa quidem Belgium totum, Neapolin, Siciliam, Sardiniam, et Mediolanum; in Africa Tunetum, Capitis viridis et Canariae Insulas; in America, Mexicoviam, Peruviam, et Chili; opulentissimas praeterea Indiae Occidentalis Insulas. His plura ipse addidit, fastigiumque dominationi Hispanicae imposuit, re adversus Gallos, Turcas, et Portugallos feliciter gesta.

Primum Philippi operum, bellum cum Gallis, idque procul dubio nobilissimum. Causa belli hujus Pontifex Paulus IV-us, homo inquietus, acer, vindictae ac dominationis cupidissimus, qui Carolo, Philippi patri, non unam ob causam infensus, maxime, quod suam nuper (1555) electionem, modis omnibus, per Cardinales Caesarianos impedire conatus esset, Hispanos, ope Gallorum, Neapoli ejicere, atque ita vindictam, sibi non inutilem, sumere statuit. Inducit igitur regem Galliae Henricum, cui gratiam jurisjurandi, pro competente sibi potestate, partem insuper praedae potiundae majorem promisit, ut ruptis quinquennibus induciis, bellum cum Hispano instauret, quam caeptu impium, tam foedum eventu. Nam missi (1556. Dec.) in Italiam Galli, signis vixdum collatis victi per Albanum, mox a Pontifice etiam proditi sunt, qui, bello ad

portas Romanae urbis admoto, pacem territus petiit, eamque honestis adeo conditionibus ab hoste superstitioso impetravit, ut non leges victus accepisse, sed victor victis arbitratu suo dedisse videri posset. Convenerat enim inter alia, ut Albanus Romam ipse veniret, veniamque ad genua procidens, sibi, et Philippo regi peteret; Papa autem eos in gratiam reciperet, amissa bello cuncta recuperaret. In Belgio pejus etiam, quam in Italia, rem gessere Galli, quos Philippus, adjutus ab Angla uxore Maria, non Flandriâ modo, quo irruperant, proturbavit, sed repulsos in Picardiam, et ad Fanum S. Quintini (1557) gravi, per Emmanuelem Philibertum Sabaudum, et Egmondanum, proelio superatos ita perculit, ut nemini ea tempestate dubium fuerit, eum, si victoria uti scisset, Parisios sub suam redacturum fuisse potestatem. Anno insequenti, refectis Galli viribus, Caletum, Gvisii ductu, improviso adorti, urbem munitissimam, 200 amplius annis Anglo possessam, recuperarunt (Jan. 1558), imo Flandriae quoque arma intulerunt, sed victi iterum magna clade ad Gravelingam ab Egmondano, ad pacem minus sibi decoram ac utilem a. 1559. Apr. in Castello Cameracensi (chateau en Cambresis) conciliatam adacti sunt: receptis ex hoste tribus, quae flagrante bello ademerat, Picardiae oppidis, retento etiam Caleto, exiguo tot la-

borum, sumtuum, ac periculorum proemio; contra ea amissis 198 oppidis ac civitatibus, parte ex aliqua Belgicis, partem longe maximam Italicis. Inter conditiones quoque relatum, ut filiam Henrici Elisabetham Philippus jam viduus, sororem autem Margaretham, Emmanuel Philibertus Sabaudiae Dux, (modo in possessiones suas, armis ab Henrico, et patre Francisco nuper occupatas, restitutus) in matrimonium, firmando foederi, ducerent.

Secundum hanc de Gallis victoriam, nullum aeque gloriosum ac memorabile Philippi operum, quam navale cum Turcis certamen. Selimus II-us, postquam parenti Solimano II-o in obsidione arcis Szigethinae (1566) defuncto successisset, ad augendum imperium omni cura conversus, Cyprum, Juris Veneti in Mari Medit. insulam, infestando mari, ac exercendae piraticae imprimis idoneam, proposuit occupare. Missis igitur ea de re Venetias legatis, quum verbis et oratione non proficeret, vim aperte parabat. Veneti periculo rerum suarum territi, Principum christianorum, in his nominatim Philippi opem implorant, eo cupidius ab eo praestitam, quod rebelles in Hispania Mauriscos, opibus clam Turcarum sublevari, falso suspicaretur. Turcae nihilominus, quanquam valida jam Christianorum, e navibus Hispanis, Potificiis, et Vene-

tis, adornata classe, Cyprum invadunt, eamque, dum Foederati, ortis inter Duces dissidiis, segniter ad auxilia ferenda se comparant, magno Christianae rei damno, majore ducum infamia, expugnant 1571. Inde, Cretâ necquicquam tentatâ, Graeciam praetervecti, Dalmatiam Venetorum, exposito in terram milite, diripiunt; hinc, ubi resciverunt, Foederatorum naves Messanae (Missina Siciliae) convenisse, verso in Corcyram cursu, cum frustra hostem, aliquot per dies, pugnandique exspectassent occasionem, ingruente jam autumno, igne, ferro, qua ibant, grassati, in sinum Corinthiacum (Golfo di Lepantho) se recipiunt. Non multo post venit eodem et Johannes Austrius, universae classi, quae Christianae reipublicae vires ac spem vehebat, imperator delectus. Is hostem, superante quamvis multitudine, adortus, (7. Oct. 1571) ita, suorum imprimis virtute Hispanorum, confecit, ut ex 250, quae proelio intererant, navibus, triginta non amplius, e caede et incendio Constantinopolim elaberentur. Christianorum naves 15, hominum 10 millia desiderata, quorum minima pars in pugna, plerique post pugnam, e levibus sagittarum ictibus male curatis perierunt. Hostium caesa 25, capta 5, Christianorum contra, e miserabili servitio liberata 15 millia. Post victoriam, qua nulla major de Turcis reportata, nulla

minus fructuosâ fuit ob ducum aemulationem, et posthabitum privatis utilitatibus reipublicae, communisque omnium salutis studium, Foederati victores, domos quisque suas dilapsi, nihil ultra memoratu dignum gessere. Ita Turcae, non instantem modo sibi interitum effugerunt, sed Cyprum quoque, assentientibus ipsis (1574) Venetis, retinuerunt. Philippo, super partam ingentem nominis gloriam, belloque captas hostium naves, proemium victoriae fuit Tunetum a. 1573 a Johanne Austriaco domitum, at id ipsum anno insequenti amissum, et cum Goleta arce, reliquisque Hispanorum Africanis possessionibus plerisque, quas servari, non solum ad famam, sed ad securam toto mari Mediterraneo navigationem, vel maxime intererat, Barbarorum demum ditionis factum.

Minor belli Portugallici, ut pote contra hostem minus potentem, nec tanta contentione gesti, gloria, at longe uberiores fructus, majusque in universa re Europaea momentum. Aurea Portugalliae tempora, cum fine seculi XV-i caepta, non ultra seculum durarunt. Fundamenta futurae magnitudinis jacta sub Johanne II o, qui (1481—1495) viam Portugallis ad navigationem Indiae Orientalis praeparavit, missis, qui non solum Africae oras ad promontorium Bonae spei navibus investigarent, sed Indiae etiam Orientalis regiones

terrestri itinere explorarent. Opus ab eo inchoatum, rara felicitate perfecit, et rempublicam brevi ad summum gloriae ac potentiae fastigium evexit Emmanuel, (1495—1521) ob res praeclare gestas, cognomine Magnus. Eo regnante, primus Vasco de Gama, circumnavigata Africa, in Indiam Orientalem Calicutium a. 1498 appulit; missus mox cum exercitu Albuquerquius rem Portugallicam ibidem communivit, ampliavit, Goa, Ormuzio, Cochino, et Malacca urbibus expugnatis, constitutaque Goae sede imperii, sensim ab Orientalibus Africae oris ad Chinam usque et insulas Moluccenses prolati. Accessit Brasiliae in America per Petrum Alvarum Capralem et Americum Vesputium Florentinum a. 1501 facta detectio. Super haec etiam condendis legibus, ordinandaque republica, bene Emmanuel de Portugallis meritus. Qui ei successit, Johannes III-us, paternarum laudum aemulus, praeter ampliatum gentis suae commercium Indicum, arcemque Mazagam in littoribus Barbariae exstructam, etiam Jesuitis, in his Fr. Xaverio, in Indiam ad populos eos religione Christi imbuendos primum missis, celebre nomen suum reddidit, regnumque nepoti Sebastiano: trium annorum puero moriens (1557) reliquit. Qui expeditione in Africam, multis necquicquam disvadentibus, temeré suscepta, ibidem cum exercitu, flore

juventutis Portugallicae, ad Alcassaram caesus a. 1578, regnum ita afflixit, ut non amplius pristinum decus suum, ac potentiam tueri posset. Sebastianum excepit patruus magnus, Henricus Cardinalis, Emmanuelis frater, qui grandis jam natu, antequam biennium in regno exegisset, mortuus a. 1580, in eoque exstincta est stirps virilis regnatricis domus Burgundicae nothae. Tres tum coorti competitores, Antonius, Ordinis Equitum Melitensium Prior, Ludovico Duci de Beya, Johannis III fratrum maximo extra matrimonium genitus; Philippus II, Hispaniae Rex, Johannis III sorore natus, gener praeterea Johannis III, sed necato filio Carolo, improlis; et Catharina Bragantina, Johannis III. fratrum natu minimi filia. Portugallorum propensissima in Antonium visa voluntas: sed Philippus, cui Clerus potissimum favebat, missis in Portugalliam, ductu Albani, copiis, Antonioque facile superato, regnum per vim occupavit 1580. Ingens id fuit rei Hispanicae incrementum, eo maxime, quod Hispani, occupata Portugallia, Indiae utriusque, ex qua ceu fonte, totius Orbis divitiae promanant, possessionem adepti sunt. Neque tamen ex hac duorum regnorum conjunctione, tantum Hispania emolumenti, quantum Portugallia detrimenti accepit. Nam brevi Belgae Foederati, per occasionem belli, quod pro liber-

tate cum Hispanis susceperant, colonias Portugallicas plerasque, ditionis ut pote hostium suorum Hispanorum factas, sub suam redegerunt potestatem, commerciumque Indiae Orientalis totum ad se derivarunt. Quam jacturam Portugalli, nunquam amplius, nec postquam, excusso (1640) jugo Hispanico, sui iterum juris facti, reparare, aut amissa ab Hollandis recuperare potuerunt.

Atque haec sunt fere (bellum cum Henrico II, navale cum Turcis certamen, Portugalliae per vim facta occupatio) quae bene Philippo cesserunt: reliqua omnia improspera fuere. Prima mali labes, ruentisque initium potentiae, defectio Belgarum, quos Philippus acerbitate imperii capere arma, et bellum occipere coëgit, quod longius 80 annis gestum, praeterquam quod amplissimas Foederati Belgii provincias a communione imperii Hispanici avulsit, immensas ejusdem opes, ut pote sub uno Philippo II 564 aureorum milliones, absorbsit. Auxere malum turbae, sub ipsa tumultuum Belgicorum initia per Mauros, vel Mauriscos in Hispania excitatae. Hos, destructi sub Ferdinando Catholico Arabum imperii reliquias, diu modis omnibus pressos, atque exagitatos, aut cedere regno, aut desertis majorum suorum sacris, lingva, cultu, moribus, atque institutis, Christianos simul et Hispanos repentino fieri jus-

serat Philippus. Qua in re, cum parum illi se obedientes praestitissent, et desperatis rebus, delecto sibi rege Ferdinando Valorio (Mahomete Abenhumeja), collectoque exercitu, arma sui defendendi caussa cepissent, triste exortum est bellum civile a. 1567, quod triennio post, aegre admodum a Johanne Austriaco, 200 hominum millium innocenti sangvine restinctum. Ad mala intestina accesserunt bella extera, cum Anglis nominatim, et Hugonottis Gallis praeter necessitatem suscepta, quae, suo utraque loco referenda, funestum ac inexspectatum Hispano eventum sortita, quantum Angliae et Galliae adauxerunt, non minus Hispaniae afflixerunt opes. Quibus rebus factum, ut Philippus regnum, quod florentissimum a patre acceperat, fractum ac debilitatum filio moriens a. 1598 reliquerit.

Aliis longe artibus rempublicam hoc tempore in Anglia administrabat Elisabetha, Henrici VIII ex Anna Bolenia filia. Biennio illa serius, quam Philippus, regno potita, et ab eo in matrimonium petita, renuit conditionem, suum non magis, quam suorum, in ea re judicium secuta. Nam Angli, recenti adhuc rerum sub Maria gestarum memoria, nihil aeque, ac novam cum Hispano conjunctionem timebant. Elisabetha Philippum plus etiam, quam nuptias, abhorrebat, tam ob innatam morum, et animorum diversitatem, quam ob

adoptatas ab utraque dissidentes inter se regnandi artes atque rationes. Philippo scilicet, in aula potentissimi Imperatoris, inter inoffensae aequabilisque fortunae blandimenta et corruptelas educato, animus natura insolens, superbus, et arrogans; Elisabethae, ipsis ineuntis adolescentiae vicissitudinibus, bene praeparatum pectus, fortis in omnia animus, adversis intrepidus, non elatus secundis; ille odiis et suspicionibus indulgens, haec callida magis, quam suspicax, ulciscendi, et ignoscendi, nisi graviori aliqua causa exacerbatus animus esset, modum nosse; quantum altera doctrinae Protestantium addicta, tantum alter ab ea abhorrens, et Catholicae majorum religioni deditus; in rebus publicis proprio uterque judicio usi, non, ut multi Principum, alieno nutu gubernati; sed Philippus suo omnia arbitratu, temere et imperiose; Elisabetha, in concilio gentis, legitimum in modum disceptata agere: hinc, quam populare apud suos Anglae, tam invisum, ac formidatum cunctis Hispani nomen et imperium. Magnae in utroque ingenii dotes, sed quae in Philippo aut neglectae, aut non recte adhibitae, et regi, et populo funestae; in Elisabetha contra arte et industria perfectae, ei, cui inerant, non minus gloriosae, quam populo, qui per eas gubernatus, salutares fuere. Tot in Elisabetha, quanquam nec ipsâ generis sui infirmitatibus omni-

no liberâ, viro dignae virtutes, tot in Philippo vitia, mulieribus facilius, quam viris condonanda, talis utriusque regni totius, ac imperii tenor, ut Angliam a maximo prudentissimoque viro, Hispaniam ab impotenti foemina crederes per id tempus gubernatam. Sed ad rem revertamur.

Regno Elisabetha a. 1558, aetatis 25, potita, nihil antiquius habuit, quam Reformatam religionem, igne ferro sub Maria fere exstirpatam, instaurare, non tantum, quod plurimum eam, teneris utpote annis instillatam animo, probabat, sed quod eandem augendis regni opibus utilissimam fore cognoverat. Fecit autem hoc non consiliis raptim praecipitatis, non violenter, sed sensim, ac quanta maxima fieri potuit moderatione imperii. Restituta primum supremâ regis etiam in rebus Ecclesiasticis potestate (suprèmatie), ulterius inde procedendum rata, cultum divinum lingva vernacula celebrari, claustra regnante Maria recens erecta tolli, missae finem fieri, decimas et annatas sibi restitui, renitentem sibi Clerum Catholicum exauctorari, atque ita pedetentim religionem ad formam fere illam, quae sub Eduardo per Cranmerum fuerat constituta, redigi, et per ita dicta *Uniformitatis*, seu *Conformitatis Acta* (1563) publice demum confirmari jussit. Forma haec sacrorum displicuit Protestantium iis, qui Genevae elemen-

tis doctrinae Reformatae imbuti, ad Genevensium proinde disciplinam cuncta exigentes, Episcoporum potestatem, ritusque omnes R. Catholicorum institutis affines damnabant ac tolli omnino cupiebant, *Puritani* inde, alio nomine, a *Presbyteriis* per Calvinum institutis, *Presbyteriani*, et, quod actis confirmatis subscribere detrectarent, etiam *Nonconformistae* appellati. Horum longa et atrox cum *Conformistis*, seu *Episcopalibus* contentio. Id condendis Ecclaesiae Anglicanae 39 articulis anno 1571 occasionem praebuit. Discidio ea re non sublato, sed confirmato, id imprimis negotii datum sibi credidit regina, cavere, ne Puritani invalescerent nimis, neve principia seu rationes democraticae, in sacrorum administratione ab iis adoptatae, graves ac perniciosae civili reipublicae, regiaeque dominationi evaderent.

Neque vero domi tantum repurgatam religionem susceperat defendendam, sed eandem foris quoque, quibuscunque potuit, modis juvit, ac promovit. Nam cum Philippus II-us religionem Catholicam ad pristinum revocare decus, exstirpare contra funditus Reformatam instituisset, foedusque ad eam rem cum Carolo IX-o, et Pontifice iniisset: non esse exspectandum arbitrabatur sapientissima foemina, dum oppressa alibi Reformatione, soli demum cum tot potentissimis hostibus,

nec de religione tantum, sed de libertate simul et summa imperii dimicandum esset. Auxilium igitur et Hugonottis Gallis, et Belgis Reformatis summisit, primum, ne materiam bello praeberet, occultius, deinde, cum patefieri consilia sua, seque peti certis indiciis intelligeret, palam et aperte. Quod etsi tenue erat auxilium, vix tamen sine eo aut Henricus IV, aut Gvilielmus Arausionensis res stabilire suas, ac communire imperium potuissent. Belgii bis sibi delatum bis repudiavit imperium, secreta habere per Belgicam potentiae munimenta satius existimans, quam, rebus ambiguis, tam arcta societate fortunas suas periclitari, et, ut optata omnia contigerint, invidiam certe interversae dominationis alienae subire.

Proxima reginae post religionem cura, studium agri colendi, tractandarum artium, et faciendae mercaturae in animis suorum excitare, his imprimis solidas regno opes, solidam parari felicitatem recte existimans. Longum foret singula ejus hanc ad rem eximia enarrare, brevitatis causa sufficiat commemorasse: exportationem frumenti permissam; servitutem si non abolitam, at novis legibus multum temperatam; ad sublevandam pauperum inopiam, (non, ut hodie, ad alendam augendamque publico sumptu negligentiam) tributum locupletioribus imperatum; pretium pecuniae constitutum, interno valori suo, nummis-

que exterorum magis accommodatum; societates mercatorum varias, instituto orientibus quam florentibus rebus publicis utiliori, *monopolii* quod dicunt jure donatas; hisque adjunctas alias vulgo *Assecurantes Societates*, quae mercatoribus adversus incommoda itineris, et subeunda Oceani pericula cautionem praestarent; praemia denique excellentibus in quocunque artium genere ingeniis, audentibusque cunctis publice proposita, atque his artibus factum esse, ut Anglia, regnante Elisabetha, vires infringendae mox Hispanorum potentiae idoneas acquireret.

Quaesitam his rebus gloriam non parum obscuravit caede Mariae Stuartae. Id qua ratione factum fuerit, paulo accuratius scribemus, partim, quia hoc ipsa rei gravitas meretur, partim, quia nullam fere partem historiae magis, quam hanc, studiis scribentium, odio aut amore, deformatam invenimus. Maria Jacobi V Scotiae regis, et Mariae Gvisiae filia, Henrici VIII e sorore neptis, atque adeo proxima regni Angliae post Elisabetham haeres, formae elegantia, et, nisi plura offecissent vitia, ingenii quoque laude, merito celebranda mulier, variis ab infantia casibus fuit exercita. Intra sextum, quam nata erat, diem patre orba, mox, ut Anglorum Eduardique consiliis et spei (vid. sub Eduardo Cap. XX.) subtraheretur, nondum adulta aetate,

a matris, et patriae amplexibus velut rapta, in Galliam abducta, ibique Delphino, serius regi, Franciico II-o nuptum data anno 1558, antequam biennium in hoc matrimonio exegisset, maritum, matremque uno fere tempore amisit. Redux in Scotiam a. 1561, religionem Reformatam, proxime ibi, allaborante imprimis *Cnoxio* celeberrimo Scotiae reformatore, lege lata receptam (1560), spoliare jure civitatis temere aggressa, odium plurimorum incurrit. Auxit invidiam Henricus Darlaeus cognatus, ob aetatis et formae praestantiam, in consortium thori et regni publice assumtus anno 1564, sed brevi fastiditus, et, — cum inde, ira amoreque animum juvenilem praecipitante, Rizium Italum, e vili Cytharoedo, quotidianum mensae convictorem, rerumque maximarum ministrum, summa omnium offensione, a regina adhibitum, interemisset — neci datus per immissos clam ab uxore sicarios. Caedis regiae palam postulabatur Comes Bothwellius, homo incredibili audacia, et post Rizium, intima apud Mariam admissione. Hunc nihilominus, postquam sententiâ judicum, metu et minis expressâ, absolutus, facti tamen infamia nequaquam liberatus, maritum sibi Regina (1567) delegit, scelere maiore, dubito, an impudentia: quippe cum Bothwellius, super commissum in rege parricidinm, aliam in matrimonio haberet

uxo-

uxorem, cum qua ut divortium facere posset, ipse, insigni turpitudine, proprium fateri coactus est stuprum simul et adulterium. Gravi ad haec, indignantibus cunctis, seditione in regno coorta, Bothwellius, nunquam rediturus, profugit; Maria vero capta, in carcerem conjecta, et in gratiam infantis filii Jacobi, e Darlaeo suscepti, imperio se abdicare jussa est. E vinculis brevi elapsa, cessione regni solenniter revocata, collectoque exercitu, capit consilium imperii armis recuperandi. Victa, cum omnem sibi incisam spem videret, in Anglia demum apud Elisabetham refugium quaerit anno 1568. Ea admitteret an repelleret? diu incerta — cum alterum, in muliere inquieta, formae illecebris, opibusque catholicae partis necdum penitus oppressae, potenti, vix sine periculo, alterum, in regina, eaque vicina, et sibi cognata, vix cum honore facere se posse intelligeret — media tandem via insistendum rata, recepit quidem supplicem, sed ne se commovere posset, in custodiam dari, et, antequam in conspectum Elisabethae veniat, purgari imperavit: missis interim ad Moraviae (Murray) Comitem, (Mariae fratrem nothum) qui tutor Jacobo, ac moderator reipublicae praepositus erat, litteris, in quibus, repetita injuriarum memoria, quas Maria regina factas sibi a suis subditis quereretur, facinoris atrocissi-

mi, ad omnes Principes pertinentis, rationes sibi reddi, et totam rei gestae seriem coram exponi postulabat. Moravius, etsi indignum censeret, apud exteros reges rerum in Scotia gestarum ac jndicatarum rationes reddi, tamen, ne quam Marianarum partium viris calumniandi occasionem praeberet, amplissima decreta legatione, cujus princeps ipse fuit, profectus in Angliam, caedis regiae, non inscia regina patratae, indicia, atque argumenta attulit certissima, partim admissi in regem sceleris consciorum fassiones ac testimonia, partim literas reginae propria manu ad Bothwellium exaratas. Quibus licet fidem habere videretur Elisabetha, non esse tamen committendum putabat, ut, damnatâ palam reginâ, orientem morem pellendi reges, rebus praesertim nondum satis in Anglia pacatis, ipsa sua auctoritate sanciret ac confirmaret. Interrupta igitur quaestione, et nulla in tempus pronuntiatâ sententiâ, consilium ex eventu capere, et rem amice inter dissidentes componere statuit. Interim Maria captivitatem aegre pati, non ut reginam a regina tractari, per literas apud suos conqueri. Interceptis literis, ortaque ex iis novandarum rerum suspicione, non multo post detegitur Ducis Norfolcii conjuratio. Qui procerum Angliae longe omnium potentissimus, fretus et suis, et adversariorum Elisabethae Hispanorum, Gallorumque o-

pibus, aperte nuptias Mariae ambiens, clam restituendae majorum religionis, et Elisabethae throno spoliandae consilia struxit. Interveniunt turbae in Anglia, qua parte Scotiam contingit, excitatae, caedesque Proregis Moravii, ab Hamiltoniis Mariae deditissimis (Febr. anno 1570) patrata; secutae mox literae Pontificis Pii V-i, quibus Elisabetha, tanquam sectaria, et sectariorum fautrix, publice proscripta, caetu recte credentium, cum impietatis suae sociis, exclusa, jure regni privata, subditique, qui ei juramenti ratione obsequium debeant, a sacramenti religione soluti. Haec occasionem Mariae arctiori custodia servandae praebuerunt. Norfolcius, postquam impetratâ semel peccati veniâ, novas, repetito scelere, insidias Elisabethae pararet, in hoc conatu deprehensus, capite poenam temeritatis luit anno 1572. Ab eo tempore aliae atque aliae machinationes ad liberandam Mariam initae, ac detectae sunt; demum, per gradus velut audacia insidiatorum crescente, in ipsius Elisabethae caput conjuratum, praeter Gallos *Ligistas*, atque Hispanos, etiam Pontifice et Jesuitis facti consciis ac instigatoribus. Primus Parryus, in Italia perniciosissimis Jesuitarum placitis imbutus, obfirmato — — — — — ad facinus animo, Elisabetham suscepit e medio tollendam, Mariamque, Catholicis ad arma vocatis, in so-

lium collocandam. Sed indicio cognati sui, cui secretum forte commiserat, in tempore adhuc oppressus, et securi publice percussus (1584), non potuit conceptum animo nefas exsequi. Biennio post Babingtonus, quantum nobilitate generis Parryo clarior, tantum opibus, dignitate, ac ingenio praestantior, idem scelus iisdem auctoribus, sed majori et spe et molimine aggressus, seriem et ordinem rei ita cum suis composuit, ut occisâ Elisabethâ, eodem tempore Maria carcere liberata, et in oras Occidentales ad exercitum, ex ei et veteri patrum religioni addictis clam conflatum, deducta, supervenientibus sub id Gallorum et Hispanorum ex continenti copiis, regina Angliae consalutaretur. Jamque, praecipientibus optatum eventum animis, dies patrando facinori convenerat 24-us Aug; Parisiensi laniena ante 14 annos memorabilis, et ob id ipsum delectus: sed, re prius detecta, conjuratio, qua salus et regnum Mariae parari debebat, in miserabile ejusdem exitium desiit. Facta interrogatione, conjurati comprehensi in eo omnes convenerunt, ut Mariam facti consciam, ejusque causa, ad necem Elisabethae afferendam, sceleris faedus initum dicerent. Contra ea Maria, postquam, coram delectis ad eam examinandam viris, liberam se reginam natam, nec proinde ullius potestati ac jurisdictioni subjectam professa, ac solenni more protestata,

ad sui demum defensionem coacta descendisset, de caeteris, quae objiciebantur, criminibus non admodum laborans, magna constantia asseverabat, nunquam se dilectae sororis vitae insidiatam esse. Prolatis tum, ad probandum crimen, literarum paribus, quas Babingtonus a se ad Mariam scriptas, et vicissim ab ea acceptas, fassus erat, negavit, se quidquam aut de Babingtono, aut de litteris nosse. Quod aliter se habet; nam Babingtonum Mariae notum fuisse, et, si minus in praesens tempus, maturius certe commercium literarum cum ea habuisse, ipso judice constat Camdeno, qui modis omnibus tueri ac vindicare innocentiam Mariae nititur. De literis non tam facile statuere est, quas Nauius et Curlius, Mariae ab epistolis, viri ambo ut omnium sic Mariae judicio laudati, omni culpa et suspicione vacui, sua manu, sed cum scitu ac consensu dominae scriptas, atque iis ad litteras Babingtoni pro veris aeque agnitas responsum fnisse, ingenue, et, nullo minarum metu, libere, ut visum, confessi sunt: pernegante usque, et nihil eorum, quae prius effata erat, revocante Maria. Re ita implicata, quum Maria duumviros (Babingtono et sociis capite jam plexis) in conspectum adduci, et coram denuo examinari peteret, quaesitores postulatum renuerunt, ut rem Anglis in crimine laesae Majestatis insolitam, nec

expressa lege praescriptam. Reversi tamen Londinum (nam Maria in arce Fotheringaya, ubi tum attinebatur, interrogata erat) non prius ad ferendam sententiam progressi sunt, quam vocati iterum Nauius et Curlius deposito solenni jurejurando confessionem suam confirmarent. Tum demum perduellionis rea, et morte digna á delegatis Maria pronunciata; sententiaque haec per utramque mox Parlamenti Cameram pro more disceptata, consentientibus omnium sufragiis publice approbata est 29-a Oct. 1586. Elisabetha diu secum, quid ageret, colluctata, hinc veteribus cum Maria simultatibus, periculo suo, et, dulci, proh dolor! etiam magnis ingeniis vindictá, illinc sacrosanctae Majestatis, cognationisque juribus, fama nominis, exterorum et posteritatis judiciis, animo obversantibus, victa tandem magis muliebri dolore, quam, quod simulabat, aut necessitate, crebrescentibus novorum motuum nuntiis, aut iteratis ordinum, ut exonerare metu rempublicam, et vitas omnium redimere morte unius festinaret, obsecrantium precibus, sententiam mortiferam, regibus Scotiae et Galliae frustra periculum reginae, matris, et cognatae deprecantibus, subscripsit 1-a Febr. 1587. Octo post diebus Maria, cervice loco publico carnifici praebita, odium, quod, viva meruerat, mortua vertit in misericordiam, acerbitate mortis, et in

perferendo supplicio constantia, dedecora vitae velut expiante. Famâ sumti de Maria supplicii Londinum allatâ, gaudere populus, ignes, in signum publicae laetitiae, injussu magistratuum accendere, campanas pulsare; angi contra et moerore in speciem confici Elisabetha, quae, praecipitatam, se inscia, sententiae exsecutionem palam vociferata, vestesque induta lugubres, Davidsonum Secretarium, violati mandati, quo tempus ad perficiendam exsecutionem exspectare jussus erat, profusique temere adeo sangvinis generosi reum, officio motum, carcere, atque grandi insuper pecunia mulctavit. Postea sive simulatus ille, sive verus dolor fuit, nequid in se honorifici officii, in dignitate tam clarae, tam sibi necessariae mulieris post mortem ornandâ, desiderari pateretur, exsequias magna pompa, sumtu ingenti, celebravit.

Quod neglectum a filio Jacobo VI, vel quia noluerat, regni jam tunc Angliae successionem spectans, vel quia non ausus erat facere, tenuitatis virium suarum conscius, inferias umbris interfectae matris afferre, et bello vindictam quaerere, praestitum a Philippo II-o Hispaniarum rege. Vetus huic et inveterata cum Elisabetha simultas; irarum causae, repudiatus amor, alienus reginae in Catholicam, propensissimus contra in Reformatam religionem animus, data Gallis Hugo-

nottis et Belgis Foederatis auxilia, creataeque per id Hispano incepta exsequendi difficultates plurimae. Quod non prius ad arma ventum, a turbis repetendum Belgicis, quas, antequam bellum Anglis inferret, sedare Philippus decreverat. Sed, cum certamen cum Belgis, opinione difficilius, duci in longum videret, ratus Angliam posse citius, quam Belgium, neque hoc sine illa domari, mutavit consilium, et, non exspectato belli Belgici eventu, quaesivit caussam pugnandi cum Anglis. Hanc nactus est speciosissimam e caede Mariae Stuartae, quod arma per eam occasionem sumta, non possent non ad vindicandam calcati tam indigne regii fastigii dignitatem sumta videri. Hoc igitur, atque isto altero, majorum religionis in Anglia instaurandae, non minus specioso praetextu, revera ulciscendi doloris sui, privatique commodi caussa, bellum, quod dudum parabat, aggreditur, tanta virium, et rei bene gerendae fiducia, ut et classem, quam adornarat, *Invincibilem* ipse appellarit, et Angliae, casurae videlicet, nec tantis viribus restiturae, tuto, ac plena potestate possidendae veniam a Pontifice Sixto V-o in antecessum impetrarit. Classis, cui parem Europa nondum viderat, constabat ex 130 navibus, sed plerisque inusitata ad eum diem mole, ac magnitudine, quae ipsa exitio fuit. Armatorum in navibus

erant millia circiter 30, tormenta 2630, auri et argenti pene infinita vis, (teste enim Thuano 30 millia aureorum quotidie expensa) cum semestri commeatu, Magno Inquisitore et 150 Dominicanis, futuris mox sacrorum in Anglia, ut eventu non dubio, restauratoribus. Parmensi, Belgicae rectori, datum ab alia parte negotium, ut, exercitu ad 40 hominum millia per Belgicam collecto, comparatisque navibus, quam primum Hispani mare intrassent, his se adjungeret, atque escensionem una in Angliam faceret, dux belli communis futurus. Bellum solenniter indici, quanquam erant, qui svaderent, non placuit, sufficere aliis bullam (edictum) Pontificiam existimantibus, qua diris devota, ac morti addicta Elisabetha, subditi in caput reginae, propositis praemiis armati, omnesque omnium gentium homines (quod factum olim in Expeditionibus cruciatis) ostentata peccatorum remissione, ad nomen dandum invitati. Quare, bello non modo non denunciato, sed Anglis, quo facilius incauti opprimerentur, spe pacis ac colloquii diu ultro lactatis, illa tot annorum ac sumtuum classis vela tandem e portu Lisbonensi, duce Medinisidonio, solvit vere adulto anno 1588; et, postquam incommodis faedae tempestatis defuncta, fretum intravit Anglicanum 29-a Julii. Interim Elisabetha, intellecta periculi magnitudine, delectum tota insula habere,

et quia rumor erat, Hispanos, ubi se Parmensi junxissent, per Tamesis aestuarium iter capturos, ad Tilburyum in Essexia castra locare, ipsa, altera velut Thomyris, militari habitu, equo insigni inter primores obire, memorare veteres Anglorum glorias, cuncta virtuti superabilia, tum, nisi vicerint, libertati, religioni, regno adesse finem, testari. Classem, quae e mercatoriis privatorum navibus maximam partem constabat, ita distribuit, ut minores numero circiter 50 ipsum fretum, et ostia Tamesis obsiderent, majores centum numero naves, ducibus Howardo (Lord Effingham, serius Comes Nottingham) et celeberrimo illo orbis universi lustratore Francisco Draco (Drake), Plimuthae in statione haberentur, inde, cum opus, hosti occurrerent. Belgae quoque Foederati, periculo sive proprio, sive reginae commoti, classem 90 navium instruunt, eâque portus Flandriae obsidendos suscipiunt, ut exitum Parmensi praecludant. Saluti id fuit Anglis, qui Hispanos Plimutham, ut ex mandato regis cum Parmensi ante omnia se conjungerent, praetervectos, 31-a Julii magna vi adorti, et, postea-quam navibus ad omnem capiendum impetum expeditis, sua vastitate impeditos fudissent, aliquot per dies ita persecuti, ut praeliis subinde, sed nunquam decretoriis, nec tota mole belli confligerent, tandem amissis navium

potissimis, hominum 5 millibus, desperatoque Parmensis auxilio, cogitare de discessu cogunt. Sed id ipsum periculi plenum: nam retro obsessae angustiae, ante ignotum mare ac importuosum, obeundaque insulae hostilis extrema. Tandem, quod minus periculi habere victis visum, fugam inhospitali Oceano quaerunt. Ibi Howardus, parte navium suarum littus Flandricum legere jussa, ut ope Foederatorum Belgarum Parmensem, si forte eggredi conaretur, intercluderent, ipse fugientes Hispanos triduum insecutus, oborta tempestate, cursum inhibuit, et Harwicum non sine periculo, sine detrimento tamen classem subduxit 14-a Augusti: toto isto bello, nave alicujus pretii nulla, hominibus, bello marique non ultra 100 desideratis. Hispanorum, quibus belli fortuna pepercit, partem maximam procellosum mare, horridaque tempestas, multos morbus ex diuturna jactatione contractus, aliquos etiam animi aegritudo, regiaeque, ut fit, vindictae, ad homines lubenter culpam a fortuna transferentis, timor abstulit. Summa cladis inde aestimari potest, quod rex edicto modum ac finem luctui statuere consultum duxit, ut magnitudinem damni, quod longe lateque plerasque nobilium familias funestaverat, oculis, si posset, suorum, publicoque subtraheret judicio. In Anglia, ut crebrae supplicationes, dum in du-

bio eventus fuit, ita victis hostibus, debitae ac solennes gratiarum actiones Deo decretae.

Insperato hoc famosae expeditionis exitu, servata Anglia, parta libertas Belgis, depulsa toti Europae ab Hispano impendens servitus, exhausta opibus Hispania, principatuque spoliata marium. Angli, animis ex succesu sumtis, ut virtutem suam non solum in repellenda injuria, sed etiam in inferenda Hispanis ostenderent, anno insequenti, classe in Hispaniam appulsa, Coronam (Corunna) et Vigum (Vigos) Gallaeciae portus diripiunt. Majora inde in dies ausi, et praedabundi per omnem Oceanum diffusi, incredibile quantum Hispaniae, interceptis navibus, disturbatoque commercio, detrimenti intulerunt. Sed vel maxime tamen ruentes ejus opes afflixerunt, arce Gaditana anno 1595, sociis ac adjutoribus Hollandis, expugnata, et cum classe simul, quae validissima in freto cognomini excubabat, incensâ, partaque praeda ingenti, quanquam constet, triginta duas naves, mercibus, (quarum pretium centies centenis Florenorum millibus aestimatum) onustas, Hispanos, ne quid inde hosti accederet, suamet ipsos manu exussisse. Bellum obitu Philippi (1598) exstinctum non est, sed continuatum sub successore etiam Philippo III-o, certamine haud memorabili, Hispa-

nis bello Belgico, Anglis Hibernico, majorem in modum occupatis.

Hiberni (anno 1172 sub Henrico II-o juris Anglorum facti) ob insitam animis rudibus antiquitatis admirationem, instituta Elisabethae, horridam gentem a fera agrestique vita ad cultum humanum ac civilem deducere, regnumque jure, legibus, moribus de integro condere parantis, aversati, arma instigatu nobilium, horum pro dominatione, non pro sua libertate capiunt. Redactis sine magno negotio ad ordinem, reginae in puniendo lenitas, novi fit facinoris illecebra. Addunt animum Hispani, pecunia et armis affatim promissis. Inde negligentia victorum in justi molem belli crevere. Jamque summâ imperii periclitari visâ, majores, quam pro solito, copias in Hiberniam mitti necesse fuit anno 1599. Dux expeditioni delectus Comès Essexius, studiis populi dubium, an gratia ac favore reginae potentior, tot, tantasque habebat juvenis vel a natura, vel a fortuna dotes; super haec clarus militari virtute: sed idem acer, iracundus, ambitiosus supra modum, et ob id multis procerum invisus. Profectus pleno cum imperio, conceptae de se opinioni ac exspectationi, incautius forte rem gerens, nequaquam satisfecit. Unde cum adversarii occasionem criminandi ejus arripuissent, idque ille rescivisset, induciis cum Comite Tyroenio,

rebellium principe pactis, domum injussu reginae venit. In vincula ob eam rem, a regina, regiae majestatis et imperii, quam amorum suorum magis memori, conjectus, et mox libertati quidem restitutus, ab aula tamen et republica abesse jussus, spirans vindictam, inita clam conjuratione, prius Jacobum VI-m regem Scotiae in regnum vocare; deinde, cum eum minus, quam sperabat, facilem experiretur, regiam irrumpere, et armis summam rerum ad se, suosque, amotis adversariis, pertrahere statuit. Consiliis, antequam exsequeretur, patefactis, ira metu animum praecipitante, seditionem aperte ciet, et ad arma armatus ipse populum Londinensem conclamat. Sed vis victa imperio; Essexius, dilapsis, quos amentiae socios habebat, captus, in judicium vocatus, laesae majestatis damnatus, ac, cum, gratia reginae ne verbo quidem appellata, et proprium periculum, et regium favorem, invicto inter tantas fortunae minas spiritu, contemsisse videretur, supplicio tandem, jussu reginae affectus est anno 1601, aetatis 34-o. Qui in locum ejus in Hiberniam missus Montijocius (Lord Mountjoy) belli et locorum peritus, superatis brevi rebellibus, fugatis etiam Hispanis, pacatâque ita provinciâ, effecit, ne magnopere virtus Essexii desiderata videri posset: sed Elisabethae victus amor, suppressique veteres affectus magno ad-

modum constiterunt, maxime, posteaquam intellexit, Essexium, audita sententia capitali, annulum, a regina olim in pignus amoris, eo superadjecto promisso acceptum, opem regiam, quotiescunque eam, periclitatus, misso annulo, imploraverit, nunquam supplici defuturam, Comitissae Nottingham, in manus Elisabethae tradendum, revera concredidisse, sed illam, seductam a viro, qui oderat Essexium, datam calamitoso fidem fefellisse; Essexium proinde nec suae salutis, nec regii amoris immemorem occubuisse. Faedum hoc morientis, et in morte culpam confitentis foeminae indicium, ita animum Elisabethae, fortem alioquin, sed tacito jam ante luctu debilitatum fregit, ut in morbum gravissimum implicita, taedioque rerum humanarum affecta, animum non multo post redderet anno 1603, aetatis septuagesimo, regni, quo nulli unquam foeminarum neque gloriosius contigit ullum, neque felicius, 45-o. Vide Hume History of England. London 1762. vol. 4. Elisab. Cap. VII.

CAPUT XXVIII.

Turbae intestinae post mortem Henrici II in Gallia insecutae; earum religio speciosa magis, quam vera caussa. Principes adversarum partium; Catharinae Mediceae ingenium. Conspiratio Renaudiana; mors Francisci II.

Henrico II-o anno 1559 in equestri ludicro (hastiludium vocant) nec opina morte exstin-

cto, regnum init filiorum natu maximus Franciscus II-us, sedecim annorum adolescens, animo et corpore juxta debilis. Sub eo, ut fieri plerumque per occasionem, perque optimatum ambitionem solet, nata statim inter potentissimas Guisiorum et Borboniorum familias de imperio ac principatu contentio. Borboniis, Antonio Navarraeo (erat enim jure uxorio rex Navarrae) et Ludovico Condeo consangvinitas cum domo regia, Guisiis, ex illustrissima alioquin Lotharingiae Ducum familia oriundis, affinitas dabat animum, cum Franciscus II-us Mariam Scoticam, seu Stuartam, Guisiorum sorore natam, teneret in matrimonio. Ad haec Francisco Guisio, qui longe tum gentis ejus princeps habitus, magnam et summotus ab obsidione Metensi Carolus V-tus (1553), et ereptum Anglis Caletum (1558) auctoritatem conciliarat. Cum Guisiis stabat, aut potius stare se simulabat, vidua regina Catharina Medicea, ambitionis et astutiae muliebris absolutissimum exemplar, non quasi dominationi eorum faveret, dominandi ipsa cupidissima, sed quod magis illud tum populare, privatimque adeo utilius visum. Nam Guisii mature, partes suas firmaturi, religionem Catholicam, cui pars maxima Gallorum addicti, palam susceperant defendendam; inde ingens apud omnes nomen Guisium laudibus ad coelum ferebatur. Borbonii, quonium

Catho-

Catholicos adversarii occuparant, ad partes Hugonottarum (ita Reformati Galli per contemptum dicti) se applicuere. Utrisque sua tantum dominatio curae, sed, ut amolirentur invidiam partim, partim etiam suorum ut vehementius accenderent studia, adversari religionis caussa credi volebant. Hinc illa atrocitas odii, ille ardor animorum, quo toto hoc civili bello pugnatum utrinque videbimus. Oleum igni affudit Catharina Medicea, quae dissidia aemulorum sponte aluit ac fovit, quo illis, dum de principatu contendunt, mutuis vulneribus invicem debilitatis, tutius ipsa regnare posset; inde nova sedandarum turbarum, pacisque reconciliandae difficultas.

Simultates partium aliquamdiu clandestinae, in apertas demum eruperunt, posteaquam Guisii, amotis a clavo imperii Borboniis, rerum potentes, exagitare liberius Hugonottas coepissent, atque inter complures alios, celeberrimum senatorem Parisiensem Annam Burgum, ob invictam in profitenda ac tuenda renovata religione constantiam, in ignem ac supplicium dedissent. Exacerbatis ea re Hugonottis facile Condeus (cui ut ambitio, ita animus, longe, quam Navarraeo, major inerat) persvasit, ut in necem Guisiorum conspirarent, iisque sublatis, regem ad gubernacula regni Condeo permittenda adigerent. Eam rem perficiendam suscipit nobilis quidam Re-

naudius: sed cum Ambosiae (Amboise), quo se aula contulerat, exsequi propositum vellet (1560. Mart.), consilio patefacto ac discusso, ipse quidem in pugna caesus, reliqui conjuratorum capti, extremis omnes suppliciis perierunt. Sedato tumultu, Franciscus Guisius, cui, re in majus exaggerata, conservatoris patriae elogium a Senatu Parisiensi tributum, Locumtenens Generalis regni (Lieutenant Général du Royaume) creatus; Condeus et Navarraeus non multo post, cum vocati in aulam venissent, comprehensi; Navarraeus quidem libera sub custodia retentus, Condeus vero in vincula statim conjectus, capitisque damnatus, proposito jam, sed nondum subscripto decreto, interitum repentina regis morte (anno 1560 Dec.) effugit.

CAPUT XXIX.

Belli Civilis in Gallia sub Carolo IX initium. Edictum Ambosianum. Bis repetita bella, Foedere ad Fanum S. Germani male sopita.

Francisco II-o sine stirpe mortuo, et fratre Carolo, 11 annorum puero, in locum ejus suffecto, turbae etiam graviores in Gallia exortae sunt. Catharina mater, arreptâ regni et regis, dum adolesceret, tutelâ, ad circumcidendam Guisiorum potentiam, minus utpote jam dominationi suae tutam, relictis iis, ad partes Borboniorum et Hugonottarum transiit.

Protinus libertati restitutus Condeus, Navarraeus vero Locumtenens Generalis regni creatus, et in nomen imperii ad speciem assumtus. Sed hunc, ut erat varius in omni vitae genere, brevi post Fr. Guisius, avulsum a Catharina, ad suas partes, et in societatem Triumviratus pertrahit, novissime inter Momorantium (Montmorency) Ducem, Mareschallum Santandreanum, ipsumque Fr. Guisium initi. Tot potentissimorum, ac inter se inimicissimorum antea virorum foedus quorsum evaderet, verita Catharina, gratiam Hugonottarum, favoremque beneficio demeritura, posteaquam colloquio Catholicorum et Reformatorum Theologorum (Teod. Beza) Possiaci (1561), rege et regina praesentibus, instituto nihil profectum, Edictum, *Januarium* a mense appellatum, proponit (1562 Jan.), quo Protestantibus extra pomaeria urbium conveniendi toto regno potestas facta, magistratibusque mandatum erat, ut nullam iis molestiam facerent, sed eos protegerent, et ab omni injuria defenderent. Id palam improbantibus Triumviris, et mox Protestantium Vassiaci (in Campania) ipsis plane sacris intentorum strage, a factionis Guisianae hominibus, edita (1562 Mart.), atque has inter turbas regina Matre opem Condei implorante: cum scriptis responsisque ultro citroque missis, exasperati potius quam mitigati essent utrinque ani-

mi, ad apertum tandem res est deducta bellum, atrocius eo, quod exteri quoque ad partes vocati, Hispani a Guisianis, Angli a Condeanis, Germani ab utrisque. Caussa belli partibus ambabus speciosa. Nam Triumviri, redactis in potestatem rege et regina, regiam pro se majestatem et publicam auctoritatem allegabant; Condeus Triumvirum insolentiam, edictorum violationem, regisque et reginae servitutem, sumtis a se armis obtendebat caussam. Illud verius, privatis cupiditatibus servire nomen reipublicae coactum. Longum foret recensere singula, itaque summa duntaxat rerum capita paucis perstringemus. Primo hoc bello (1562—63) Antonium Navarreum vulnus, quod in obsidione Rothomagensi (Rouen in Normandia) acceperat, Sant Andreanum cruentissima ad Drocum (St. Dreux in Praefectura Aurelianensi) pugna abstulit, ubi (1562 Dec.) caesa Historici memorant 8 armatorum millia, Condeum ab una, Momorantium ab altera parte captos, victori Guisio pene pluris victoriam, quam victis stetisse. Paucis post diebus in Aureliani obsidione caesus (1563. Febr.) ex insidiis (a Poltroto nobili Gallo) Fr. Guisius, ipsa fatente invidia, inter praestantissimos ejus aevi numerandus, et profecto ad incrementum Galliae, ornamentumque natus, si in rectius administratam rempublicam, pacatioraque incidisset tempora. Ultima morientis vox fuit,

data percussori venia, pacis et concordiae regno pernecessariae studium regi, ac reginae commendatum. Acerrimo hoc potentiae ac imperii aemulo liberata Catharina Medicea, rem esse eo adductam rata, ut jam partium studia flectere ac dirigere ad nutum ac arbitrium posset, pacem regno, Protestantibus liberam ac publicam, sed certis per singulas praefecturas locis adstrictam religionis professionem dedit Edicto Ambosiano 1563. 19 Mart. Inde ut omnem Condeo et Momorantio, quos nondum vereri desierat, publicae administrationis spem praecidat, ac sola sub regis nomine regnet, filium Carolum, quem sponte corrupit, ac, quantum in se fuit, regno inhabilem reddidit, aetatis anno 14-o, *majorennem* (capessendae ac regendae reipublicae capacem) pronuntiari jubet. Ab eo apertius in dies suo in Protestantes odio indulgere, partim amoto metu, partim instante Pontifice, qui Principes Christianos, in his regem Carolum et reginam matrem orabat, obtestabaturque, ut Concilii Tridentini, tunc plane (1563. Dec.) clausi, decretis calculum adjicerent, et, exscindendis sacrorum novatoribus, in medium consulerent. Instigabat praeterea reginam gener Philippus II-us Hispaniae rex, professus Reformationis ac infestissimus hostis, cui gravis hoc ipso tempore cum Belgis suis de libertate simul et religione contentio.

Calcaria haec sponte currenti fuere. Quare cupide in societatem arcani foederis accessit, a Pontifice dubium, an a Philippo primum propositi, et anno 1565 inter ipsam Catharinam et Carolum ab una, Elisabetham Hispaniae reginam et Ducem Albanum ab altera parte, Gallis proxime et Belgis, tum, si conatui fortuna faverit, omnibus omnium gentium Protestantibus, delendis ac penitus exstirpandis, Bayonnae (in Aquitania Galliae) initi. Famâ foederis hujus Hugonottae accepta, et mox vexationibus, bellicisque apparatibus, quos fieri quotidie majores videbant, rei, quae narrabatur, fidem facientibus, capiunt consilium pro tempore audax, regis in itinere intercipiendi, et per id Carolum Guisium Cardinalem, ceterosque hostes suos ab aula, et consortio regio removendi. Inde inexpiabile regis in eos odium, inde secundi civilis belli origo a. 1567. Victi iterum Protestantes: sed victor caesus ad San-Dionysium (St. Denys in Insula Franciae) Momorantius, et auxilia, victis e Germania per Johannem Casimirum Palatinum adducta, fecere, ut anno insequenti 1568 Mart. pax rescissa coaleſceret in easdem fere conditiones, in quas ante Ambosiae erat conventum. Conditionibus non impletis, et regni Cancellario, magno illo Michaële Hospitalio, quod vir adulandi nescius, et fere solus nullis partium studiis infectus, pa-

cem quam prudenter, tam fortiter ac animose commendasset, ab aula remoto, bellum tertium reliquis omnibus violentius, sexto quam pax convenerat mense, erupit. Hoc bello occubuit Condeus, in pugna ad Jarnacum, dum non ducis, non militis strenui officium ullum praetermittit, ingruentium undique hostium multitudine, equo suffosso, atque superincumbente oppressus, et facta deditione, contra fidem datam, ex insidiis transverberatus (a. 1569 Mart.) a Montesquio, quem satellitii sui ductorem, regius princeps, Generalis tum regni Locumtenens, et dux belli a regina matre creatus, postmodum rex, Henricus (III) immisisse narratur. Morte Condei Henricus (IV) Navarraeus Antonii, et Henricus Condeus Ludovici filius, ambo ingentis et animi et spei adolescentes, capita Protestantium atque duces facti; summa imperii penes Colinium (Coligni) navalis militiae imperatorem (Admiral) fuit. Cujus unius admirabili prudentia, virtute, et cum periculis crescente audacia, Protestantium res, cum prorsus concidisse obitu Condei crederentur, ita rursus praeter omnium opinionem erectae sunt, ut bellum, quod jam plena factionis adversariae victoria terminandum videbatur, anno insequenti, aequa Protestantibus pacificatione ad fanum S. Germani (St. Germain en Laye 1570 Aug.) componi debuerit. Pace ista, nimium heu! ut eventus docuit, do-

losâ, Protestantes, supra concessum superioribus Edictis liberum ac publicum religionis exercitium, sancitamque praeteritorum oblivionem, omnium munerum publicorum capaces, et subditi fideles declarati; imo iisdem, quod jure factum mireris, securitatis, et faciendae pactis fidei causa, quatuor etiam arces traditae, proximo tamen biennio, interposito jurejurando, restituendae.

CAPUT XXX.

Laniena S. Bartholomaei; ortum hinc bellum; Caroli IX-i miserabilis mors, morte ipsa miserabilior causa mortis.

Posteaquam violenta adversus Protestantes consilia parum admodum procedere, triplici bello didicisset Catharina Medicea, animum vertit ad fallaciam, et quos armis superari posse desperarat, simulata capere amicitia decrevit. Hinc illa pacis ad Germani fanum festinatio, et in dandis conditionibus aequitas ac facilitas, hinc illa, post restitutam pacem, in conciliandis sibi Protestantium animis comitas, hinc nominatim callidissimum illud, de filia Henrico Navarraeo collocanda, commentum. Neque res contra, quam volebat, successit. Protestantes reconciliatam omnino sibi, religionique suae reginam et domum regiam credentes, ab armis discedunt, arces, quas pignora pacis servandae acceperant, ante prae-

stitutum adhuc biennium, reddunt, Parisios invitati, et in aulam, frequentes veniunt. Ibi firmando faederi ad speciem, revera tegendis, quae parabantur, insidiis, nuptiae inter regis sororem Margaretham et Navarraeum confectae (11 Apr. 1572); simul ostentata etiam spes belli Hispanis in Belgio inferendi, adhibito ante omnes in consilium Colinio, et eodem duce expeditioni tacitis sermonibus in antecessum destinato. Interim, post multas procrastinationes, dies nuptiis constituitur, qui fuit 17 mensis Augusti; celebrantur incredibili Protestantium undique confluxu, pompa et laetitia ingenti; quadriduo post (21 Aug.) Colinius, caede jam a rege, regina matre et consciis, inter ipsa nuptiarum solennia, deliberatâ, quum ex curia domum se reciperet, e fenestra aedium, quas praeterire necesse habebat, duabus glandibus graviter vulneratus, inter manus domum reportatur: insidiarum machinatore Henrico Guisio Francisci filio. Multi tum Protestantium, id quod erat suspicati, occurrendum imminenti graviori malo, sine mora exeundum urbe, censere. Contra ea rex, et scelerum artifex mater, simulata consternatione, et quaestione statim decreta, factum detestari, Colinio vulnus, sibi dolorem inflictum dicere, non impune tantum scelus auctori futurum jurare, ejus rei ut testes sint, neve urbe excedant, rogare. Adeunt etiam

Colinium, eadem multis verbis repetunt, bono animo esse jubent. Proximo biduo nihil nec ad diligentem rei investigationem, nec ad confirmandos ac metu liberandos Protestantium animos, in speciem omissum. Nam et intercepti plures de caede suspecti, et, quia tumultuari plebs Guisiis addicta ferebatur, praesidia pro aedibus Colinii disposita, in his, ad vitandam omnem suspicionem, Helvetiorum Navarraei stipatorum nonnulli, qui pro fidelissimis habiti. Publice insuper edictum, ut Protestantes Nobiles, quicunque in urbe essent, in vicinas Colinio domos, nulli Catholicorum adeundas, concederent. Id caput doli et insidiarum erat, ut devotae morti victimae, simul cum essent, et in una regione urbis, elabi e caede, et fallere diligentiam percussorum minus facile possent. Ad haec consilio procerum in aedibus Colinii habito, quanquam multa in contrariam partem disputarentur, Colinius et Navarraeus, eâdem illâ regiae benevolentiae et sinceritatis fiducia, qua freti, multis nequidquam dehortantibus amicis, Lutetiam venerant, manere nunc ibidem decreverunt, atque idem ut facerent, suis etiam persvaserunt. Adeo, ingruente fato, occaecati erant animi! At rex Carolus, et Medicea mater, simulac mansuros Hugonottas, et in vicina Colinio hospitia distributos, renunciatum, vocatis, qui nunquam pro-

cul aberant, consciis, de capiundi consilii, exsequendaeque rei ratione capita ultimum conferunt: et, quando unius hominis morte, jam enim medici convaliturum ex vulnere Colinium asseverabant, pestis reipublicae ab eo quadamtenus orta, latiusque in dies serpens (ita Reformata sacra appellabant) exstingvi non potuerit, placuit, ut universorum exitio opprimeretur; id carum Deo, salutare regno futurum, id res suas praesentes, necessitatemque ipsam poscere; nam Colinium et socios, nisi occupati prius perierint, armis et bello, hostibus proxime, tum toti reipublicae funesto, acceptam injuriam persecuturos. Itaque, Henrico tantum Navarraeo et Condeo exceptis, delendum internecione totum genus Protestantium, et caedem insequenti nocte inchoandam assentiunt universi. Rex, postquam victa dubitatio castigationibus matris, exsequendam rem imperat. Hora, locus, signum conveniunt. Inde diversi diversa abeunt, socios conquirunt, quid fieri velint, ostendunt. Nox erat, nondum illucescente fatali die, qui Bartholomaeo sanctus, mensis Augusti 24-us, erat, cum, signo pulsu campanarum dato, ferox et suopte ingenio, et variis criminationibus accensa militum et civium mixta multitudo, infestis armis in inermes, innocuos, populares ac cognatos suos irrumpunt, ut certent manus suas, nomen et famam gentis, scelere,

quo nulla unquam aetas atrocius vidit, contaminare. Initium caedis a Colinio factum, qui, graviter licet adhucdum ex vulnere laborans, imperterrito vultu stans mortem, et repetitos gladiorum ictus pertulit. Odio morte viri non expleto, in vita functum bestiis omnibus immanius, quod referre pudor vetat, saevitum. Irâ inde in reliquos versâ, et septem omnino dies, velut in capta urbe, caedibus, rapinis satiatâ, nihil intactum ferro relictum, nulli ordini, sexui, aetati, ne infantibus quidem, et praegnantibus foeminis parcitum. Parisiorum exemplum reliquae civitates secutae, ut per eos dies, 30 amplius hominum millia, civili ferro, miserandum in modum periisse memorentur. Atque haec est famosa illa S. Bartholomaei laniena, etiam nuptiarum Parisiensium nomine insigniri solita, cujus atrocissimo nuntio universa fere, scelus exsecrata, cohorruit Europa. Soli factum gaudebant, gaudiumque habitis Deo supplicationibus publice fassi sunt Romanus Pontifex Clemens XIII, (Mureti Orat. Vol. I. Or. 22.) et Hispaniae Rex Philippus II-us. At rex Carolus initio, dubia adhuc existimatione vulgi, factum sedulo excusare, odium in Guisios a se amoliri; mox, addente animum scelesta matre, et infirmitatis, impotentiaeque confessionem magis etiam, quam facti invidiam, veritus, auctorem se palam ultro pro-

fiteri: sed initam a Colinio teterrimam conspirationem, structas omnium vitae insidias, atque falsa omnia causari, quo extremis in periculis extrema, et non alia, quam illa ipsa, adhibenda fuisse remedia, evinceret. Etiam gratias supremo Numini, pro tam feliciter, et ex voto administrata republica, agendas decrevit. Neque tamen eo magis consilium sangvinarium multis vel eorum, qui regiarum semper partium, iisdemque sacris addicti erant, probatum. Certe Jac. Augustus Thuanus, magni nominis historicus (unde uberiorem harum rerum cognitionem volentibus haurire licebit. Libr. 47. 50. 51. 52. 53.) fratrem suum Christophorum, Parlamenti Parisiensis primarium ejus temporis praesidem, tristissimam illam diem Sanbartholomaeam detestatum semper fuisse, et quotiescunque memoria ejus animum subiisset, in illa P. Papinii Statii narrat erupisse:

Excidat illa dies aevo, nec postera credant
Secula, nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte regi propriae patiamur crimina gentis.

Silv. Libr. V. 2. 88. seqv.

Dignum humano viro votum! sed, quando id jam non licet, nec factum infectum fieri potest: exstet in aeternum atrocissimi diei memoria, ut homines religionis nomine litem sibi invicem intendere adeo parati meminerint continuo. nullum esse tantum scelus, nullum

nefas, quod nimio religionis studio praecipitatus animus perpetrare horreat.

Nefaria haec insontium hominum caedes quarto originem bello praebuit. In quo cognitum est, vires Protestantium clade recenti nequaquam tantum, quantum vulgo tum augurabantur homines, fractas fuisse. Nam, licet reperti eorum, quibus fortuna pepercit, non pauci, qui, justissimo timore compulsi, aut exilii causa solum verterent, in Helvetia, Germania, et Anglia refugium quaerentes, aut, opibus tolerando exilio, animisque forte deficientibus, cedendum tempori rati, sacra majorum, ore, non etiam animo, amplecterentur: plures tamen, ubi a pavore primo respirarunt paululum, armis, ex desperatione, ut fit, vindictaeque cupidine, arreptis, bellum grave regi ordiuntur: ex quo adversarii, in unius Rupellae (Rochelle) pertinacissima octo mensium obsidione duodecem suorum millibus nullo emolumento absumtis, nihil nisi ignominiam domos suas reportarunt. Hugonottis anno insequenti pace Rupellensi (1573 Jun.) cuncta superiorum temporum jura, ac privilegia confirmata, exulibus potestas domum redeundi, et quam velint, religionem profitendi data; omnes sententiae contra Protestantes, belli illius tempore, in causis sive capitalibus, sive civilibus latae, pro nullis ac irritis declaratae.

Bello sub moenibus Rupellae adhuc fervente, Dux Andium, seu Andegavensis (Anjou in Pr. Aurelianensi), Henricus, regis frater, qui praefectus exercitui erat, rex a Polonis electus, quod ipsum finiendi belli et obsidionis citra dedecus solvendae occasio regiis fuit, in Poloniam, magna impurorum hominum, et vilium assentatorum (mignons) comitante caterva, anno eodem venit. Discessus ejus occasione, pars Procerum Catholicorum, vulgo *Politici*, administratione reipublicae minus contenti, Catharinae Mediceae, Italis, et Guisiis, turbarum utpote auctoribus, infensi, cetera religioni Catholicae fidi, factioni se Protestantium adjungunt; inde communiter utrique comitia regni celebranda, corrigendamque in iis, ac emendandam urgent reipublicae administrationem. Arma non auditi capiunt. Dux bello, (quod a. 1574. inchoatum, quintum in bellis civilibus numeratur) et caput ambabus factionibus in occulto delectus frater natu minor regis Franciscus Dux Alenconius, juvenis turbulenti per se ingenii, et qui, spretum se a matre, fratribusque dolens, irae pariter et ambitionis exsatiandae occasionem, vel cum regni exitio, amplexurus videbatur. Neque renuit conditionem Alenconius, sed, cum jam in eo esset, ut ex aula elapsus in castra foederatorum concederet, cum sociis, a Medicea matre oppressus; ipsi quidem parcitum,

reliqui omnes conjurationis proximi aut supplicio affecti, aut in vincula conjecti. Etiam Navarraeus et Condeus, quos adolescens aetas, cognatio, et strictis gladiis imperata sacrorum ejuratio, superstites nuperae caedi Parisinae fecerant, participasse consilia dicebantur, sed Condeus fuga in Germaniam periculum ante vertit, scripto mox innocentiam testatus, et ad sacra non sponte deserta reversus; Navarraeus utcunque purgatus, diligentibus tamen oculis a suspicaci socru, et in aula asservatus est, una cum Alenconio, qui, ope foederatorum, imperium ad se rapere, intervertere regni successionem, et eam fratri Henrico Poloniae regi, quem unum Catharina mater plurimum semper adamarat, praeripere velle insimulabatur. Id metuens regina persvasit morienti regi, ut, per absentiam fratris Henrici, supremam regni administrationem sibi potissimum committeret. Die, quo diploma regium ea de re confectum, (30 Maii 1574.) animam Carolus, post graves, ac longos dolores misere exspiravit, sangvinis per meatus pororum in universo corpore prorumpentis abscessu, et animo, post horribilem diem illam Sanbartholomaeam, poenarum metu, scelerumque conscientia tantopere exagitato, ut nullum unquam tempus vacuum a cruciatibus haberet, et, somno nocturnis horroribus plerumque interrupto, medicamentis, atque pueris sympho-

nia-

niacis, ad arcessendum eum, pellendasque tristes cogitationes uti cogeretur. Teste itidem Thuano, viro gravi, religioni et parti R. Catholicae addicto.

CAPUT XXXI.

Henricus III-us ignaviae, foedisque voluptatibus deditus, crebrescentium in Gallia tumultuum caussa; Liga Sancta, et Sedecimviralis; fratrum Guisiorum, et mox Henrici ipsius caedes.

Carolo IX-o sine stirpe mascula defuncto, regnum debebatur Henrico, superstitum fratrum natu majori, quem Poloni regem sibi anno superiori elegerant. Is conceptam de se summam opinionem multum initio statim fefellit. Nam, posteaquam, famâ mortui fratris, regnum honorifice sibi a Polonis delatum, insalutatis omnibus, ingratus, inhumanus, praecipiti festinatione, fugitivo propior quam regi, deseruisset: tribus integris mensibus in itinere (Viennae, Venetiis, Ferrariae, Mantuae, Augustae Turinorum) inter spectacula, ludos, et omnia oblectamentorum genera consumptis, vix quarto demum mense, post longos errores, in Galliam remeavit 1574. Oct. Ut adeo — quae, si ulla, sola forte habere locum excusatio posset — fugae affinis ille ex Polonia discessus, maturandi in Galliam reditus, praevertendarumque ibidem turbarum causa factus videri non possit. Quare multi jam tum, qua-

lis aditus, talem exitum regni ominari, exiguamque admodum fiduciam in rege collocare, qui universi populi, florentissimique regni (Polonos intelligebant) repositas in se spes omnes foede adeo frustraverit. Neque falsum illud augurium fuit. Otio enim et voluptatibus deditus rex, imperio matri Catharinae maximam partem permisso, regnum magis etiam, quam antea, civilium turbarum flammis involvit. Alenconius et Navarraeus, ex aula et custodia elapsi, ad foederatos Hugonottas et Politicos transeunt. Iisdem cum exercitu ex Germania superveniunt Condeus et Joh. Casimirus Comes Palatinus. Territus ea re Henricus, et belli, quod sub Carolo adhuc eruperat, quovis modo componendi cupidus, Alenconio Ducatum Andegavensem, Turonensem et Biturícensem (Anjou, Touraine, Berry), Condeo Praefecturam Picardiae; foederatorum: *Hogonottis*, publicam et liberam per regnum universum religionis suae professionem, publicorum munerum participationem, in supremis regni tribunalibus (vulgo Parlamentis) ad causas Protestantium judicandas, totidem ex Protestantibus, quot e Catholicis judices (chambres miparties) ac in pignus, fidemque foederis, octo arces; *Politicis*, habenda intra semestre spatium comitia, medelamque malo in iis adferendam, promittit, pacemque hoc pretio in Belliloci caeno-

bio (Beaulieu) apud Turones a. 1576 Mai. redimit. Inde Guisii, adversariae factionis Catholicae principes, occasionem, paulo post, foederis secreti, cui *Ligae sanctae* nomen, contra Protestantes ad speciem, re ipsa adversus regiam majestatem ineundi, arripiunt. Caput conspirationis fuit Henricus Guisius, qui, cum se regi propter nimias opes, regem populo ob ignaviam et libidines invisum videret, de invadendo clam regno cogitabat, idque hoc etiam magis, quod se e domo Carolingica, contra jus fasque per regnatricem Capetingicam throno spoliata, ortum contendebat. Sed consilium Guisii paucissimis conjuratorum cognitum; reliqui omnes — quorum infinita per omne regnum multitudo, solenni jurejurando ad servandas foederis leges, obedientiamque et obsequium principi foederis praestandum adacta erat — tuendae majorum religionis causa ictum foedus, sumptaque non contra regem, sed pro rege potius, contra invalescentes Hugonottarum opes arma, credere. Rex quanquam insidiarum, quae sibi pararentur, non ignarus, nihilosecius in Comitiis Blaesensibus (Blois) anno eodem celebratis, adultae conjurationi obviam ire palam non ausus, ad declinandum tantisper periculum, disturbandaque conjuratorum consilia, principatum foederis, Guisio a sociis destinatum, ipse sibi sumit, edictumque simul de una non-

nisi religione Catholica per Galliam toleranda proponit. Sextum hinc bellum cum Hugonottis enatum, eodem tamen, quo coeperat, anno (1577) aequa Protestantibus pace finitum. Neque septimum, quod brevi post, anno 1579, Hispano potissimum concitante, erupit, diu duravit, quod neque rex, potentiam Guisiorum veritus, redigi ad internecionem Hugonuttas, neque Guisius, ulteriora spectans, caussa belli continentis videri cupiebat. Mortuo autem a. 1584. fratre regis Andino, difficili statim et inextricabili respublica bello (octavum) implicata est, quo et rex periit, et regnum ipsum 10 annos misere laceratum, ac pene dilaniatum fuit. Causa belli Henricus Guisius, qui, hinc regem solum superstitem e domo regia, illinc Henricum Navarraeum proximum regni haeredem sacris Reformatis, quae coactus nuper deseruerat, inhaerentem, et inde populo invisum, reputans, interturbare ea occasione legitimam regni successionem, et rapere ad se statuit. Qua in re lubet admirari artificium viri. Nam, cum arduam rem, et vix citra periculum tentandam videret, non sibi, sed Carolo Borbonio Romanae Ecclesiae Cardinali, Navarraei patruo, seni effaeto, levi, et nulli rei idoneo, nec, idoneus si sit, diu jam superfuturo, regnum ab initio destinatum simulabat, partim, ut familiam Borboniam, quae conjuncta adversus contrariam

quamvis factionem valida satis visa, divideret, divisamque resistendo redderet imparem, partim, ut belli, ad exstirpandam haeresim, regemque haereticum a regno arcendum, unice suscepti, opinione vulgo praebita, fallere facilius, ac declinare invidiam posset. Ne quid remoraretur successum, reginae matri, cujus probe et ambitionem norat, et potentiam, persvasit, quidquid ipse in Caroli Borbonii gratiam faceret, facere id, ut Navarraeum excludat: quo excluso, et deliro sene brevi sublato, fore, ut jus successionis ad Lotharingiae Ducis filios, reginae ex filia nepotes, suos gentiles, transferatur. Pari fallacia aggressus est etiam Philippum II, cui fidem fecit, quod Caroli Cardinalis, et reginae causa facere videatur, id neutiquam bona se fide, aut ulla cum spe successus facere; neque enim tantae successionis ordinem everti posse, nisi translato in potentiorem Principem imperio; quibus verbis ipsum indigitabat Philippum. Ad demerendum denique Pontificem, cujus auctoritate apud plebem imprimis, et exteros opus erat, promisit, si throno per eum potiri sibi liceat, effecturum, ut pristinum Ecclesiae Romanae decus, et dignitas restituantur, abusus omnes, qui (vulgo Libertates Ecclesiae Gallicanae) sub regibus Capetingicis, gravi Pontificum injuria, regnum invaserant, tollantur. Rebus ita compositis, foedus cum suis

instaurat, finem foederis, simulatum scilicet, scripto evulgat, ducem rei, eundemque futurum regni haeredem, Cardinalem Borbonium designat, delectus, injussu regis, per totum regnum habendos imperat. Quibus rebus territus rex, et nihil eorum, quae postulabantur, recusare ausus, colloquio Nemorosii (Nemours in Insula Fr.) 1585 Jul. cum foederatis instituto, edictum promulgat, quo sectarii, (ita Protestantes per contemptum appellati) revocatis superioribus edictis, additaque capitis et bonorum proscriptionis poena, ad deserta majorum sacra extemplo redire, aut excedere regno, jussi sunt. Decretum insuper, ut foederatis 10 urbes securitatis causa traderentur, contra suae Protestantibus adimerentur. Brevi post (Sept.), quod Gregorius XIII aut consulto distulerat, aut morte praepeditus perficere non poterat, novus Pontifex Sixtus V Navarraeum et Condeum, tanquam sectarios, sectariorum fautores, ac defensores publicos, divinaeque adeo Majestatis, et fidei Catholicae hostes, publico diplomate proscribit, ipsosque, et successores eorum, in praesens et in posterum, excidisse jure regni, pronuntiat. Quam illi injuriam, a Pontifice sibi illatam, acerbe deinde ulti sunt, scripto evulgato, eoque etiam Romae, sub ipsius Pontificis oculos, publice affixo, quo jus suum, et causam suorum, gravi oratione tuiti, simul temerita-

tem *Sixti, pro Pontifice se gerentis*, (verba sunt scripti) multa cum libertate insectati sunt. Bello inter haec accenso, (1585—1595) et Hugonottis non improspere rem gerentibus, sacer ordo, quo potissimum incentore ad bellum utebantur Guisii, concitare populum, crimina non in Hugonottas tantum, sed in ipsum regem, quasi rebus Protestantium in occulto faventem, quam falsa, tam horrenda jacere, Guisium nutanti reipublicae ac religioni avitae, velut divinitus datum statorem, laudibus ad coelum usque efferre. Id diligenter, tam clandestino, secretarum confessionum occasione, quam aperte, ex umbone, factitatum, multis passim conspirationibus, sed teterrimae tamen omnium, in urbe regia originem praebuit. Finis secretae conjurationis, confirmatio Ligae, et imperii per eam ad Guisium translatio; socii, omnes, quibus, aut ad explendas cupiditates, aut ad reparandam domesticarum rerum ruinam, perturbatione reipublicae opus erat; principes, audacissimi quique lingva et manu homines. His sua singulis munia, et singulae regiones urbis, numero ad sedecim, attributae; inde nomen *Ligae, seu factionis sedecimviralis.* Indicia conspirationis anno 1585 initae, anno demum post, neque tum satis certa, ad regem delata sunt. Qui eam contra Navarraeum unice factam ratus, hunc, quod et antea jam fecerat,

admonuit, ut, ad discutiendos faederatorum conatus, religionem Catholicam amplecteretur. Sed ille, consiliorum Guisii non ignarus, timens etiam, ne calumniandi tantum sui materiam Guisianis novam ea ratione praeberet, facturum se negavit, et, bona causa, Deoque confisus, gerere bellum cum Ligistis, communi hoste, perseveravit. Cujus eum constantiae neque poenituit. Nam haud ita multo post, 20 Oct. 1587, hostem, superante licet multitudine, gravi praelio vicit ad Curtracum (Courtras) suorum paucissimis, adversariorum tribus amplius millibus, in his duce Joyeusio, cum tercentis aliis e primaria nobilitate, desideratis, castris hostium incensis, signis omnibus, tormentis, ac impedimentis magni pretii, interceptis. Victoriae, quam, 27 abhinc annis, primam Protestantes, acie instructa, de Catholicis reportarunt, uberiores futuri erant fructus, nisi accepta aliunde intervenisset calamitas: auxiliaribus Germanorum et Helvetiorum copiis, 24 Nov. a. e. a Guisio partim caesis, partim redire domum, non sine gravi dedecore, coactis. Guisiani, crescente ex eo audacia, anno insequenti capiunt consilium, regis, quem conviciis omnibus publice consectari non erubuerunt, intercipiendi. Neque tamen rex, vel repetitis conjuratorum insidiis, e fatali veterno excitari, aut omnino adduci potuit, ut tempestivum malo impendenti re-

SZYCHTEMPONYVTÁR DEBRECEN

medium adhiberet; sed satis habuit, Guisium, ne urbem accederet, prohibere, aut, si vera dicenda sunt, deprecari potius. At ille dicto parum audiens, in urbem nihilominus venit, et mox regi, vim paranti, re ad apertam seditionem deducta, necessitatem deserendae urbis (13 Mai.) imponit. Inde, consiliis ad muniendam dominationem suam versis, magistratus urbanos abrogat, novos sufficit, Bastiliam (Bastille) regiumque armamentarium occupat. Unum jam restabat, ut, quod cogitabat dudum, quodque Pipinus olim (752) cum Childerico III, regum stirpis Merovingicae ultimo, revera fecerat, monasterio regem includeret, atque ipse vacuam regni possessionem invaderet. Quod tamen facere ille neglexit, sive commodius aliud tempus opperiendum sibi ratus, sive animis forte, ad tanta arte ac audacia praeparatum a se facinus exsequendum, non sine tacito quodam horrore, deficientibus. Cunctatio isthaec magno admodum postea Guisio constitit. Rex enim, cum insolentiorem in dies Guisium, et effusa licentia longius progressum videret, quam ut legitima ulla ratione ad officium reduci posset, ira, metu, ac pudore confusus, occupat incautum, et Bloesis, ubi tum comitia constituendae reipublicae habita, in ipso secretiori regio conclavi (neque enim in tantis hominum studiis, et assiduo armatorum satellitum co-

mitatu, tutum alibi uspiam visum) per dispositos a se percussores, immaniter trucidandum curat 23 Dec. 1588. Cum eo interceptus frater Cardinalis Ludovicus, et postridie, ob verba minarum plena, in vinculis, ad vitandam seditionem, clam, per immissos homines, jussu regis, itidem confossus. Capti et alii, Ligae adversus regem initae capita, in his Cardinalis Borbonius, et in custodiam dati. Caede Guisiorum suam tantum perniciem rex maturavit. Didita enim fama rei, immane quam commoti sunt animi omnium, Parisiis maxime, ubi versi in furorem sacerdotes, regem, per absentiam, indignum regno, populum religione jurisjurandi, et vinculo obedientiae solutum, ex Cathedra pronuntiant, ad arma et ulciscendum nobilissimum sangvinem, propositis etiam vitae aeternae praemiis, civitatem invitant. Parisiorum auctoritatem pleraeque civitates secutae, obsequium regi renuntiant, Ducem Meduanium, (Mayenne) Carolum, fratrum Guisiorum, caesis duobus, tertium superstitem, *Generalem regni, et Coronae Francicae vicarium* (Lieutenant general de l'ètat et couronne de France) creatum, summae rerum, ad generalia regni comitia, proxime celebranda, praeficiunt. (1589 Febr.) Henricus, qui, nequid concitatae multitudini publica etiam auctoritate armandae deesset, a Pontifice quoque diris devotus, postquam

edictis contra perduelles promulgatis nihil profectum, extremo in discrimine, salutem, quam apud suos non invenit, apud adversarios Hugonottas, et Henricum Navarraeum quaerit 1589. Apr. Receptus ab hoc, armis rebelles in ordinem redigere constituit. Jamque numerosissimus exercitus maenibus regiae urbis stabat admotus, cum pridie plane ejus diei, qui urbi ex omnibus partibus oppugnandae praestitutus erat, Coenobita Dominicanus Jacobus Clemens, proprio, an aliorum instinctu, in castra Hugonottarum, praeparato ad caedem et mortem animo profectus, cultro regem, et cum eo domum Valesiam, post regnum ad 261 annos (ab anno 1328) propagatum, exstingvit a. 1589 2-a Aug. Hunc exitum habuit Henricus III-us, alieno imperio felicior, quam suo. Cujus ego dum vitam et regnum inspicio, Taciti illud, de Servio Galba, judicium convenire mihi quam maxime in eum videtur: „major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, „nisi imperasset.“ Nusquam enim tantam de Principe ullo praeceptam omnium opinionem tam dispar secutus est eventus.

CAPUT XXXII.

Henrici IV in profligando civili bello fortuna; ad religionem R. Catholicam transitus. Pacata domi, forisque respublica. Edictum Nannetense. Pax ad Vervinos.

Domus Borbonia descendit a Ludovici IX seu Sancti

filiorum quarto, Roberto, Comite Claramotii, qui 1272 *nuptiis Beatricis Burgundicae, Borbonium familiae suae adjunxit. Filius ejus Ludovicus, primus Dux Borbonii anno* 1327. *Domus Valesia originem ducit a Carolo Valesio, qui fuit filius natu minor Philippi Audacis (III), Ludovi IX filii, et in regno successoris.*

Morte Henrici III-ii Henricus Navarraeus, seu Borbonius, cui regnum lege debebatur, et quem moriens Valesius, successorem sibi ultimis verbis designaverat, in castris, postquam religioni Catholicae abunde cautum fuisset, rex ab exercitu proclamatus, summum imperium, et Henrici IV nomen sibi sumit. Sed ab eo longe maxima pars populi, ob religionem, aversa; factiosi (*Ligistae*, apud Thuanum *Henotici* graeco vocabulo dicti, et *Sedecimvirani*) cetera discordes, divisis inter Carolum Borbonium Cardinalem, Meduanium, et Hispanum studiis, in hoc uno consentiunt universi, ut habere regem, ceu ipsi nominabant, haereticum nolint. Ad Meduanium visa plurimorum inclinare voluntas, sed ille, secundis (vicarii Generalis) partibus, ut tutioribus, contentus, primas Cardinali Borbonio sponte concessit, quem proinde, ut ut necdum e custodia, in quam jussu nuper Henrici III conjectus erat, liberatum, senatus Parisiensis, ipso praeeunte Meduanio, regem, indito ei Caroli X nomine, pronuntiat. Partes Henri-

ci tuebantur Hugonottae, nobilitas pene omnis, et quicunque, sub rege superiori, magistratu publico functi, exterorum Helvetii, Germani et Angli. Cum adversaria factione stabant plebs, clerus, urbes pleraeque majores, parlamenta, Rhedonensi (Rennes in Brit. minori) tantum et Burdegalensi (Bordeaux in Aquitania) exceptis, omnia, vicini principes Catholici plerique, in his nominatim Sabaudus, Pontifex, et Hispanus Philippus II-us, qui, per eam occasionem, ditionis suae facere Galliam, aut in partes [secare, aut, si ne id quidem posset, frangere saltim ac debilitare proposuerat. Quantum his inferior viribus, tantum causa et virtute superior Henricus, primum, defectione copiarum, movere ab urbe (Lutetia) castra sua coactus, in Normandiam recesserat; inde, postquam Meduanium, cum exercitu triplo majori suis instantem, bis, prius quidem ad vicum Arcas (Arques) non procul Dieppa (1589. Sept.), dein ad Juriacum (Jvry 1590. Mart.) gravi pugna vicisset, ad urbem oppugnandam rediit. Quam, captis suburbiis, interclusoque commeatu, arctissima sex mensium obsidione, ad eas jam redegerat angustias, ut, urgente fame, et jumentis, equis, asinis, canibus item, catis, muribusque, quorum carnes foeda necessitas, obstinatis ad extrema animis, in cibum verterat, absumptis, virgulta cum herbis et stirpibus, quid quod, horren-

dum dictu! carnes humanae, tusa cadaverum ossa, et confecta ex iis farina, debuerint demum, ad debellandam famem, et infelix alimentum corporis, adhiberi: neque tamen de deditione cogitatum, adeo victae superstitione, et Sacerdotum furiis instinctae civitati, extrema quaeque pati optabilius visum, quam regem accipere alienis sacris addictum, cetera praestantissimum; quippe qui obsessis a se rebellibus subditis, fame, morbo conflictantibus, captus misericordia, et humanitatem anteferens victoriae, commeatum ultro miserit: ut difficile judicium lectoribus relinquatur, hujus inauditam animi magnitudinem, an illorum obstinatam, adversis et beneficio inexpugnabilem admirentur magis pertinaciam. Tandem diu exspectata Hispanorum auxilia, ductu Alexandri Parmensis, e Belgio superveniunt, et necessitatem regi solvendae obsidionis imponunt. Mortuo interea Carolo Borbonio (1590 Maii.), patruelis ejus Carolus, vulgo Cardinalis Borbonius Junior, scisso jam in duas factiones regno, tertiam, *Tertianam* inde dictam, conciliat, e Catholicorum iis conflatam, qui, recta regem non rejicientes, conversionem tantum ejus, et in Sacra Romana transitum urgebant, eo consilio ac spe, ut cum ille, quod non dubitabant, facturum se id negaret, regnum, regi, sed non familiae ereptum, servato successionis ordine, Cardina-

li Borbonio Juniori, avitae religionis propugnatori futuro, deferretur. Factioni novae adversabantur Sedecimvirani, qui, opibus Hispanorum suffulti, posthabitis Borboniis, quin ipso etiam neglecto Meduanio, Isabellam Philippi II ex Elisabetha Gallica filiam, e consilio patris et procerum, cui optimum videbitur, nupturam, summae rerum praefici cupiebant. Maritus virgini regiae ab Hispanis destinatus Ernestus Austriacus, a Gallis Carolus Guisius Junior, Henrici Blaesis interfecti filius, in custodiam, casu patris, conjectus, et ex ea, inter has ipsas turbas, incuria vigilum, elapsus (1591. Aug.), rege, ut aliqui volunt, non invito, qui futuram inter eum et patruum Meduanium gravissimam altercationem praeviderat, dum meritorum alter paternorum, alter suorum rationem haberi, neuter alterum ferre superiorem, vellet. Dissidia haec adversariorum, Parmensis in Belgium reditus, et accepta ex Anglia (1591. Oct.), ductu Comitis Essexii, auxilia (peditum 2500, equites 1500), addunt animum regi, qui, receptis ex hoste, minus memorabili certamine, locis compluribus, majore dehinc conatu bellum gesturus, ad munitissimam toto regno et opulentissimam Normandiae urbem, Rothomagum, oppugnandam accedit. Obsessis, ad ferendam opem, valido cum exercitu accurrunt Meduanius, et missus iterum a Phi-

lippo Parmensis: per quos irritum quidem regis, de expugnanda urbe, consilium redditum, sed Parmensis, accepto infra cubitum gravissimo vulnere (1592. Apr.), ex eoque lenta tabe correptus, morte (Decembris) gloriam solutae obsidionis redemit. Anno insequenti fessi bello et exspectatione factiosi, comitia creando regi Catholico indicunt. Ea haberi jam dudum Philippus, et instigatus ab eo Pontifex urgebant; contra Meduanius, dignitatem, quam se consecuturum desperaret, conferri in alium nolens, re, quoad potuit, dilata, coactus nonnisi, et metu potentiorum adversariorum, in habendos ordinum conventus consensit. Quibus, ineunte anno 1593, Luteriae inchoatis, in magna studiorum discrepantia, dum Meduanius nullum, Hispani Ernestum, Galli Guisium partim, partim Cardinalem Borbonium, nonnulli etiam Henricum, sed sacris Romanis initiandum, habere regem volunt, nihil eorum, quae factiosi cogitabant, volebantque, factum; at regi optime ea occasione perspectum, idque magis in dies persvasum esse coepit, nullam aliam pacandae reipublicae, et regni tuto possidendi rationem superesse, quam ut, mutata religione, ad avitam majorum redeat. Quare, ut omnem ignaris ac imbecillis scrupulum, malignis occasionem adimat, postponendas etiam publicae utilitati, imo necessitati, privatas rationes suas

arbi-

arbitratus, pactis induciis, et impertita per Theologos necessaria institutione, Romana tandem sacra publice professus est a. 1593. o 25. a Jul. in templo Sandionysiano. Ea re conversa statim populorum studia, et in regem omnium inclinati animi, prodita foederatorum causa. Soli factionum principes, quibus non religio, sed sua dominatio cordi, exterique alienae libertati inhiantes, professionem Regis, ut simulatam, neque ex animo profectam exagitare, et sectaria lue infectum, dirisque propterea devotum, in gremium Ecclesiae, inconsulto Pontifice, admittendum negare. Horum multae et magnae molitiones, sed irritae pleraeque. Rex Autrici Carnutum (Chartres in Praef. Aurel.), Remis (Reims), ubi inaugurari reges soliti, nondum ex hoste receptis, magna pompa, plaudente populo, sacra corona redimitus a. 1594 Febr. Paucis post diebus reseratae regi Parisiorum portae (22 Mart.); secuta urbium deditio, et procerum, in his Guisii Junioris (Nov. 1594) reconciliatio. Neque tamen penitus desaeviit tempestas. Nam Meduanius adhuc in armis, et, Pontifice nondum placato, insidiarum, et interficiendi Regis occasionem captantium fanaticorum plena omnia. Horum e numero Johannes Castellus (Jean Chastel) mercatoris cujusdam Parisiensis filius, adolescens 19 nonnisi annorum, sed audax, temerarius, flagi-

tiis omnibus supra aetatem obrutus, ac contaminatus, desperata animae salute, quo vinculis eam poenae aeternae exsolveret, admissaque scelera infinita nobili aliquo facinore expiaret, Jesuitis, apud quos educatus, auctoribus, cepit consilium Regis, in cubiculo, inspectantibus omnibus, cultro confodiendi a. 1594 27 Dec. Quod etsi efficere non potuit, ictu, quem in gulam direxerat, opportuna plane Regis, ad amplectendum amicorum quendam, inclinatione, in maxillam inferiorem adacto, graviter certe regem, excusso dente, sauciavit. Eo periculo monitus Rex, postquam supplicium de scelerato sumptum, et hortatores sceleris Jesuitae cedere omnes regno jussi (sed mox ante evolutum decennium restituti), in gratiam redire cum Pontifice maturavit. Ad eum placandum, ante receptam adhuc Lutetiam, missa perhonorifica a Rege fuerat legatio, sed, praevalente Romae Hispana factione, repulsam passa: missi denuo (1595 Jul.) legati benignius accepti, verito scilicet Pontifice, ne, reversis ad fidem proceribus ac civitatibus plerisque, si consentire ipse noluerit, citra consensum etiam suum, ut saepe alias, disciplina in regno constitueretur: nihilominus durae admodum regi impertiendae absolutionis conditiones propositae, atque in his nominatim: ut Rex *Calvinismo* et aliis *haeresibus* coram legato Pontificio eju-

randis, facto dictoque, et in dispensandis maxime honoribus ac dignitatibus, ostendat, serio eum velle ac cupere, ut unica, quam profitetur ipse, religio Catholica, in regno ejus efflorescat; ad principes Catholicos scribat, et gratuletur, quod in gratiam Romanae Ecclesiae receptus sit, publicasque eo nomine, per omne regnum, gratiarum actiones Deo haberi jubeat; Acta Concilii Tridentini, (nondum ab antecessoribus confirmata) exceptis tamen, quae citra — — — induci in usum non possent (quo pertinent ad disciplinam spectantia pleraque) publicanda et servanda curet. Conditionibus ipsis fere gravior cerimonia solennis, qua tota res peracta, (1595. 18 Sept.) viris, qui regis personam sustinebant, vulgo Procuratoribus regiis, in templo S. Petri, frequente populo, errores, juxta praescriptam formulam, regis sui nomine, ejurare, et procumbere ad genua coactis, tum recitato Psalmo 50-0, et ad singulos ejus versiculos legatis, quod factum olim apud Romanos in servorum manumissione, virgulâ, quasi vindictâ, a Pontifice Clemente VIII, leviter attactis.

Nondum placatum habuerat Pontificem Rex, quum, dissidia ac defectiones inter suos ab Hispanis ali, et bellum, quod in visceribus exstinctum, per confinia clam resuscitari, aegre ferens, oblata prius pace, sed eâ superbe ab insolenti hoste repudiatâ, bellum

regi Hispaniae aperte indixit 14 Jan. a. 1595. Flagrante eo, Meduanius, cum desperatas res suas, infidamque cum Hispano amicitiam videret, in gratiam cum Rege reversus anno 1596; exemplum ejus, duobus post annis, Duce etiam Mercuriano, qui, Britanniam minorem tenens, diutissime omnium in armis permanserat, secuto, finis denique tristissimo 38 annorum civili bello impositus est a. 1598. Eodem anno, mense Majo, postquam triennio longius, alternante fortuna pugnatum esset, pax cum Hispanis Vervini (Vervins in Picardia) ea lege convenit, ut, quidquid a Pace Castello-Cameracensi (1559) alterutrius ditionis jure belli occupatum esset, bona fide vicissim restitueretur. Cum Sabaudo bellatum adhuc aliquamdiu, lisque ita demum a. 1600 diremta, ut ille pro Marchionatu Saluciano (Saluzzo in Pedemontio), quem, civilium in Gallia turbarum occasione, nuper occupaverat, partem Burgundiae, fluviis Arari et Dubi (Saone et Doux) interjacentem, vulgo Bressae Comitatum, Regi concederet.

Paulo ante pacem Verviniensem, ipsis Idibus Aprilibus (1598), post biennes vehementissimas altercationes, *Edictum* in gratiam Protestantium *Nanneti* (Nantes in Britannia minori) conditum, regioque sigillo confirmatum, promulgatione tamen, ob praesentiam Legati Pontificii, in annum subsequentem di-

lata. Celebri hoc Edicto, ad publicam salutem ac concordiam dudum desiderato, cautum non modo, ut religionem suam Reformatis libere ubique per regnum profiteri, honores, magistratus ac dignitates promiscue gerere, sed etiam ut urbes, superiori tempore pignori acceptas, et praesidiis suis firmatas, octo a die promulgationis annos retinere iisdem jure suo liceret. Quod ultimum ad Reformatos ut ut prope necessarium, vix tamen probandum recte rem aestimare volentibus videri possit, potestate eo facto, et occasione, parti civium, summi imperii, quo contineri ac constringi omnes oporteat, impune, si modo voluerint, detrectandi (vulgo Statum in Statum formandi) suppeditatâ. — Reliqua suo loco.

CAPUT XXXIII.

Pacatum Ferdinandi I-i et Maximiliani II-i in Germania, turbulentum ob Turcas in Hungaria imperium.

Pacata haec Germaniae tempora; Ordines inter se utcunque concordes, vicinorum Belgarum ac Gallorum contentionibus immixti, Protestantium alii, alii Catholicorum caussam armis tuentes; Imperatores ambo Carolum secuti, quietis atque concordiae studiosi, Protestantibus non, ut ille, iniqui, et ob eam rem Sacrae Sedi parum probati. Certe Paulus IV Pontifex Ferdinandum, cujus inter-

cessione factum imprimis meminerat, ut Pax religiosa aequa Protestantibus Augustae (1555) conciliaretur, suffectum fratri Carolo (1556), agnoscere pro Imperatore noluit, haereseos ipsum suspectum, et ab Electoribus parte ex una haereticis electum, ad haec, abdicationem quoque Caroli, quod injussu Sacrae Sedis facta esset, nullam, irritam, et effectu omnino destitutam caussatus. Sed Imperator de approbatione Pontificis non multum laborans, sumpto sibi, non, ut antecessores, *Coronati*, sed *Electi* tantum *Romani Imperatoris*, titulo, (successoribus quoque deinceps usurpato), neque postea destitit agere, quae ad conciliandam inter diversarum religionum fautores concordiam factura judicabat. Hoc consilio coelibatum Clericorum tolli, sacram *communionem* sub *utraque specie* populo (laicis) permitti, multum in Concilio Tridentino, per Legatos suos, irrito licet conatu, ursit; Jesuitas, et Concilii Tridentini, sub eo (1563) terminati, statuta induci quidem in Germaniam passus est, sed idem, Augustanum, de religionis pace, decretum, in gratiam Protestantium, confirmavit (1559); mox, lite cum novo Pontifice Pio IV composita, ab hoc *communionem* quoque *sub utraque specie* pro terris Austriacis impetravit, id quod brevi postea a subsecuto Pontifice Pio IV vetitum ac revocatum.

Filius ejus Maximilianus II-us pari laude ac sapientia Imperio praefuit ab a. 1564 ad annum 1576. — Celebratur imprimis propensa ejus in Protestantes voluntas, et in colenda pace studium. In Gvilielmum Grumbachium, quietis publicae turbatorem, severe animadvertit. Hic nobili loco in Franconia natus, Alberti olim Brandenburgici in bello, seu potius latrocinio, socius, Episcopo Herbipolitano (Würzburg) privatas ob injurias interfecto, ipsaque urbe, Episcopi sede, direpta (1563), terrore totam complevit Franconiam. Ob eam causam proscriptus, implorato Ducis Gothani patrocinio, vocataque in partes vicina nobilitate, novare res, et incendium suum publica restingvere ruina proposuit. At magno malo suo. Arce enim Gothana, quod receptaculum sceleris habebat, per immissum ab Imperatore militem expugnata, et mox decreto Comitiorum Ratisbonensium funditus deleta, captus et in quatuor partes dissectus; Dux autem Gothanus, amentiae ejusdem socius, perpetuis carceribus addictus est a. 1567.

Gravius utrique negotium in Hungaria a Turcis facessitum. Ferdinandus, jure conjugis Annae (quae caesi ad Mohátsium Ludovici II-i soror erat) Rex Hungariae ab anno 1527, possessionem regni, armis cum Johanne Zápolya disputabat. Qui parte ab una Procerum, ex Vajvoda Transilvaniae ad Re-

gnum evectus, cum se parem Ferdinando non videret, apud Solimannum II-um, Turcarum Imperatorem, auxilium quaesivit. Opem ejusdem imploravit vidua Regina Isabella, partem regni, a marito possessam, et, ex foedere Magno-Váradinensi (1538), morte mariti sui (1540), Ferdinando debitam, cedere huic nolens. Qua occasione usi Turcae, specioso tuendi juris Zápolyani titulo, bonam Hungariae partem, caput nominatim regni Budam (1541) occupant; cum quibus deinceps totos fere 150 annos ferro regibus Hungariae Austriacis de principatu decertandum fuit. Bellum obitu Isabellae (1559), et Ferdinandi (1564), non exstinctum, transiit ad successores quoque Johannem Sigismundum, Transilvaniae Principem, et Maximilianum II-um Imperatorem. Flagrante eo Solimannus II-us, propugnandarum Johannis Sigismundi partium praetextu, in Hungariam ipse profectus, in obsidione Szigethina, gravi repente morbo implicitus, decessit anno 1566. Praeerat arci fortissimus Heros Hungarus Nicolaus Zrinyius, qui, postquam locum, exigua quingentorum supra duo millia militum manu, contra immensam Turcarum multitudinem, ducentis utpote millibus majorem, incredibili diu fortitudine defendisset, hoste infestissimo vicies a moenibus magna clade rejecto, tandem, incendio, fame, et penuria rerum omnium ad extrema

redactus, ubi nullum in virtute relictum sibi praesidium videt, eruptione, non in spem victoriae, sed ad ulciscendam mortem, facta, et dira Barbarorum strage edita, vitam pro patria, alter velut Leonidas, ingenti animo, cum suis una, profudit. Non multo post pax inter Selimum II Solimanni II-i filium, atque Maximilianum coaluit, in quam etiam Sigismundus consentire, sumptoque perperam regio titulo abstinere coactus est annno 1571.

Rudolphi, qui Maximilianum secutus, domi forisque impeditius multo imperium (1576—1612), inferius, una continuatione exponetur.

PERIODI PRIMAE

PARS POSTERIOR

EUROPA SEPTENTRIONALIS.

a dissolutione Unionis Calmariensis, ad Domus Rurikiae in Russia interitum.

1523—1598.

CAPUT XXXIV.

Mutatio rerum in Europa Septentrionali, ineunte Seculo XVI-o facta.

Historiam recentiorem in Europa Septentrionali non, ut in Europa Meridionali, a fine Seculi XV-i, sed ab initio XVI-i ordimur, tempore quo penitus rerum in Septentrione facies immutata est, idque ante omnia: 1-o, dissolutione Unionis Calmariensis, 2-o, hanc insecuta Reformatione Sacrorum.

Unio Calmariensis, qua tria Regna Septentrionalia, Danicum, Norvegicum, es Svecicum, sub bellicosa Daniae Regina Margaretha a. 1397 in unum imperium coaluere, posteaquam amplius 100 annis, ut ut, defectione Svecorum, saepius interrupta, durasset, penitus tandem soluta est, Svecis se in libertatem vindicantibus, ductu et auspiciis Gusta-

vi Wasa anno 1523. Implicatiores ab eo Statuum Septentrionalium res, cum opibus gliscens invidia, longa mox bellorum series.

Reformationis, in Europa Septentrionali fere etiam graviores, quam in Meridionali, fuere effectus. Nempe recepta ea fide citius, imo principatum quoque adepta in tribus primariis Statibus, Dania, Norvegia, Svecia, et in Svecia quidem statim, in reliquis duobus paulo serius, anima velut ac fundamentum civilis constitutionis facta. Ejusdem quantum sequenti tempore in constituendis Burussiae et Poloniae rebus fuerit momentum, dici vix potest.

Aetas I. 1523—1553.

CAPUT XXXV.

Christiani II inaudita crudelitas; Gustavus Wasa vindex atque assertor libertatis Svecicae. Reformatio Sacrorum in Sveciam et Daniam introducta.

Stante adhuc utcunque Unione Calmariensi, reges Daniae, ab anno 1448 e Domo Holsatico-Oldenburgica electi, in Norvegia quoque et Svecia, (sed in Svecia, jugum continuo detrectante, armisque subinde libertatem suam repetente, nomine verius, quam re) regnabant. Christianus II-us Christiani I, qui primus suae gentis, multa cum laude regnaverat (1448—1478), nepos, patrem Johannem anno 1513 in imperio secutus, homo ferus,

ac legum divinarum, humanarumque omnium superbus contemptor, posteaquam Svecos, ducibus Sturiis diu fortissime libertatem suam tuitos, Stenone Sturio Juniore in pugna caeso, armis ad officium reduxisset, regem se Sveciae solenniter inaugurandum curat anno 1520, fide prius data, neminem anteactarum rerum damnatum, regnumque secundum receptas leges gubernatum iri. Sed inter ipsa coronationis solennia dirum animo concipit nefas, et consilium immane, Proceres Sveciae, in urbe regia Holmiae (Stockholm) congregatos, e medio tollendi, ita ratus, facillime se nervos rebellionum omnes uno velut ictu succisurum. Caesi igitur illustrissimi quique, opibus et dignitate eminentes Svecorum viri (8 9 Nov.) numero quatuor et nonaginta, in his Ericus Wasa, e veteri regum Sveciae prosapia oriundus, propinqua etiam cum Sturiis cognatione conjunctus. Violentum hoc remedium (cui Lanienae Holmiensi in Historia nomen) perpetuae inter regna divisionis caussa fuit. Sveci enim, clade sua non tam fracti, quam irritati, et in Gustavo, Erici interfecti filio, e custodia Danica forte elapso, ducem, quali opus erat, promptum manu ac consilio, nacti, arma capessunt, nec prius bellandi finem faciunt, quam Danis terra marique, post atrox utrobique certamen, ope Lubeccensium, superatis, Danicum penitus ex-

cuterent jugum, Gustavumque, in praemium recuperatae per eum libertatis, regem solenniter crearent anno 1523. Non parum in proposito, susceptoque consilio Svecis profuit, quod Cristianus II-us, ob impotentem dominationem, intolerandamque saevitiam, Danis etiam suis invisus, intestinum et atrox cum his certamen eodem tempore occeperat. Cujus hic tandem fuit finis, ut, suis a fide deficientibus, in Belgium ad Carolum V-um Imperatorem, cujus sororem in matrimonio tenebat, profugere, regnumque Patruo suo Friderico I-o relinquere anno eodem 1523 cogeretur. Serius, ope Caroli V-i, armis regnum repetens, et Havniae (Koppenhagen), quo, ad pacem aequis conditionibus faciendam, fide quadammodo publica praemunitus venerat, contra fidem datam interceptus (quasi violatorem fidei per fidem decipi, et, quod in se statuisset, exemplo plecti, ea demum conve nientissima vindictae divinae poena visa fuisset) custodiae mandatus, in eadem obiit anno 1559, aetatis 78, captivitatis 27. Fridericus I-us, rebus initio in Dania dubiis, satis habuit hanc adversus Christianum II-um tueri ac retinere, de Svecia parum admodum laborans. Cum hoc igitur egit Gustavus Malmogiae anno 1524, ut Unionem Calmariensem solenniter dissolvi, Sveciamque propriis legibus vivere in perpetuum pateretur. Ad Re-

formationem inde introducendam, ac stabiliendam omni cogitatione Gustavus ferebatur, quam, satis sua alioquin indole commendatam, vel ideo invalescere inter suos cupiebat, quod eam ad graves Cleri opes circumcidendas, sublevandam contra populi tributorum et aeris alieni onere oppressi inopiam, et, quo praecipue in novo regno opus erat, ad augendum regium Imperium, utilem sibi futuram non ignoraret. Sed caute et pedetentim progrediendum ratus, primum doctrinam Evangelicam, quam ipse exul Lubeccae imbiberat, viris eruditis, et ad docendum aptis, Wittembergâ accitis, librisque etiam sacris in lingvam Svecicam translatis, inter suos disseminavit; deinde, in summis rei nummariae difficultatibus, Episcopos, pro immensis, quas tenebant, opibus, pendere tributum ad publicas regni necessitates coëgit, reluctantes, bellumque mox, ac seditionem cientes, a republica decreto Comitiorum Arosiensium (Westeräs) anno 1527-o penitus arcuit, bona in publicum redegit partim, partim privatis, erepta superioribus temporibus, restituit; atque ita demum, ab hoc patefacto aditu, religionem Lutheranam, abolita R. Catholica, publice recipiendam ac sanciendam curavit. Quo in loco lubet interponere constantiam ac fortitudinem regis, qui, cum consilia sua omnia, factiosorum Episcoporum audacia interturbari,

regiam majestatem parum reverenter haberi animadverteret, malle se, publice professus est, regno cedere, et coronam deponere, quam pati diutius Episcopos regnare, et populum sub gravissimo hierarchiae jugo gemere. Qua ejus constantia factum, ut regnum, postridie quam abdicasset, annitente populo, recipere, et, quae e republica censeret, multo dehinc liberius agere, atque exsequi juberetur. Non tamen futuris quoque temporibus Episcopi tumultuari, et, societate cum nonnullis Nobilium inita, plebem concitare destiterunt: sed Gustavus has quoque seditionum procellas feliciter omnes evitavit, singulari virtute ac sapientia, redactis in ordinem rebellibus, paucis, qui caput mali erant, supplicio affectis. Alius mox, isque externus, a Lubeccensibus, rempublicam invasit timor. Gustavus, difficillimo constituendae, ac ordinandae Ecclesiae negotio defunctus, ad augendas regni opes, excitandamque suorum industriam omni studio conversus, navibus aedificatis, classeque Mari Baltico adornatâ, emolumenta commerciorum, a solis fere Lubeccensibus diu usurpata, ad suos sensim derivare, et, hoc consilio, Lubeccenses, veteri in Sveciam commeatu prohibere coeperat. Id illi factum indignati, primum Danos in Gustavum irritare, et per eos exitium regi Sveciae parare; mox, cum in

eo consilio parum proficerent, occasione e turbis morte Friderici I (1533) in Dania exortis captata, maritimas utriusque regni civitates in Foedus Hanseaticum pertrahere, regiumque nomen ac potestatem penitus utrobique exstingvere proposuerunt, auctore ac duce Wollenwebero Consule. Armis igitur, specie Christiani II-i in regnum restituendi, sumptis, in non leves angustias Daniam imprimis conjecerant, sed, post atrox certamen, victi tandem conjunctis Danorum et Svecorum viribus, poenas amentiae suae dederunt, deleta classe, et amisso maris Baltici (Ostzee) principatu, commercio tamen cum Svecis, sub conditione pendendi imposterum portorii, quamvis aegre, restituto, a. 1536. Atque hinc originem maritimarum Sveciae opum jure numeres, quas auxit postmodum occepta cum Anglis et Belgis negotiatio, aequis utrinque legibus constituta. Quantum hac re, non minus excitandis literarum et artium studiis, militia et re aeraria ordinanda, regno suo Gustavus profuit. Quibus omnibus sic sibi suorum adjunxit amorem, atque benevolentiam, ut in Comitiis a. 1544 Arosiae habitis, communi Ordinum consensu, regnum Sveciae, in gente Gustaviana, haereditarium declararetur: salutari in futurum effectu, republica ita a vicissitudinibus, ac malis, cum libera regum electione conjunctis, tempestive vin-

vindicata. Extrema aetate bellum grave cum Johanne Basilide II, Russorum Magno Duce, qui Finlandiam invaserat, suscepit, quod minus triennio gestum, anno 1557, induciis 40 annorum, aequis parti utrique conditionibus finitum est. Non ita multo post fato cessit Gustavus anno 1560, aetatis 70. Quem universus populus, non ut Regem tantum, sed ut Patrem quoque optimum, vivendique simul et faciendi magistrum, multis prosecutus est lacrimis, justioribus eo, quo pejus, qui proxime eum secuti, regnavere.

Minus interim feliciter res Danis processere. Friderico I-o, qui in locum Christiani suffectus, durae adeo, cum capessere regnum vellet, praescriptae leges, ut nomine verius quam re regnaret. Imperio ad Nobiles ac Senatum Regni translato, populus servorum loco habitus, magis, quam unquam, sub jugo Aristocratiae gemebat. Inde taedium novi regni, et desiderium novandarum denuo rerum, in animis multorum enatum. Auxit invidiam consilium Regis, de Reformatione in regnum introducenda, susceptum, liberumque religionis exercitium, in Comitiis Othoniensibus (Odensee) a. 1527 o, multum indignante Clero, Evangelicis datum. Ea res spem, cum occasione, regni armis repetendi Christiano praebuit. Qui, posteaquam terrestri adversus Danos exercitu in Jutia parum pro-

fecisset, classe in Norvegiam e Belgio appellens, concursu populi ad eum facto, prope erat, ut Norvegiam eriperet Friderico. Sed, expeditione simul etiam in Sveciam, neque ea feliciter, tentata, impar duobus hostibus, deditionem Friderico facere, et mori in vinculis coactus est. Norvegia tunc pacata et in perpetuum Daniae adjuncta. Annus insequens 1533-us et Fridericum abstulit, et rempublicam turbis longe perniciosissimis involvit, scissa Procerum de rege eligendo concordia, et ea occasione Lubeccensibus, armis, ac dolo, Daniam subjugare aggressis. Donec, patefactis Lubeccensium insidiis, et, cum successu eorum, crescente communis ruinae metu, Christianus III filius Friderici I-i, post 14 mensium interregnum, rex in Jutia (veterum Chersoneso Cimbrica) proclamatus, supervenientibus etiam Svecis, Lubeccenses pelleret, regnoque et regia civitate receptis, finem bello, ac modum discordiae civili statueret. Bello defunctus Christianus, anno 1536 Conventu Ordinum Havniam indicto, Episcopos, et nuperi causam belli, et novis adhucdum rebus studentes, opibus, et potestate, quam in rebus publicis habebant maximam, exuit. Triennio post, religionem Evangelicam, sub patre adhuc admissam, in locum et jura veteris Catholicae succedere jussit. Idem Senatum Norvegicum sustulit, et jus eligendi

regis, cum Danis antea commune, Norvegis ademit, atque eo facto, multo, quam erant, subjectiores Danico Imperio eosdem reddidit. Neque fere quidquam aliud memorabile gestum, id unum adhuc si notaverimus, imperio Holsatiae et Slesvici cum fratribus diviso, semina plurimarum insequentium turbarum, regem optimum, intempestivo hoc in fratres studio, jecisse, materiamque certamini praebuisse, quod annis amplius ducentis inter Reges Daniae, et Duces Holsatiae gestum, non prius terminatum est, quam commemorati ambo ducatus, regum Daniae imperio penitus subjicerentur. Mortuus, non multo ante Gustavum, a. 1559, regnum filio Friderico II-o reliquit.

Futuris temporibus, ob ipsam viciniam, viriumque mensuram fere parem, mutuo Daniam et Sveciam metu laboraturas, raro communi aliquo periculo aut utilitate conjunctas, saepius dissidentes, semper certe aemulas inter se videbimus.

CAPUT XXXVI.

Quis ineunte et adulto Seculo XVI rerum status in Polonia, Borussia, et Russia?

Poloniam, exstincta anno 1370 regum indigenarum Piastorum stirpe virili, reges Jagellonici, una cum Lithvania (non tamen ante a. 1569 Poloniae suo modo adjunctâ) rege-

bant. Primus ejus gentis fuit Uladislaus Jagello, Magnus Dux Lithvaniae, regnum consecntus, Hedvigâ, Ludovici Magni, Hungariae regis (ad quem, morte avunculi sui Casimiri Magni, Piastorum ultimi, regnum etiam Poloniae devolutum) filia in matrimonium ducta a. 1386. Familia ejus regnavit deinceps uno tenore ad annum usque 1572, haereditatis dubium, an electionis potius jure: adeo ad incertum revocatis omnibus, nimia nobilium potentia, in quorum dominationem jam tum concesserant omnia; reliqua plebe, quae tota rusticorum, ne dicam servorum erat, nulli consilio, nulli negotio publico adhibita. Limites regni, ea praesertim parte, qua Russiam, Tartariam, et Borussiam contingunt, juribus regis et populi mutuis nihilo certiores. Inde materiae ad certandum domi forisque plurimum. Ad haec mala, ineunte seculo XVI, accessit crebra, ter ut pote intra 14 annos facta, regum et regni mutatio, etiam florentibus rebuspublicis, nedum laborantibus gravis. Casimiro IV († 1492) filiis, Johanne Alberto (1501), et Alexandro (1506), non diu superstitibus, summâ rerum ad Sigismundum I-um, fratrum natu minimum, delatâ, laetior paulo reipublicae affulsit facies. Sub eo Reformatio sacrorum introduci caepta; cum Equitibus Teutonicis, seu Crucigeris, qui, rupto foedere Thorunensi anni 1466, bellum re-

novarunt, pax ea lege anno 1525 inita, ut Albertus Brandenburgicus, tunc temporis Magnus Ordinis Magister, Ducali sibi vindicato titulo, partem Borussiae, Sacri antea Ordinis propriam, jure haereditario, sub tutela tamen ac clientela regum Poloniae, teneret. Anno insequenti Masovia, a propriis ad eum diem Ducibus gubernata, Regno Poloniae adjuncta. Regnum filii ac successoris, Sigismundi II-i Augusti (1548—1572), certamine imprimis de Livonia, cum Russis et Svecis suscepto, erat exercitum. Eo regnante Reformata religio fide citius propagata, recepta nimirum a parte nobilium plus quam dimidia: sed, quod diffitendum non est, minus hic, quam alibi, salutaris fuit quoad culturam morum et ingeniorum, civilemque constitutionem, Reformationis effectus, ob servilem maxime plebis conditionem, et discidia renovatae Religionis fautorum, quibus praeter Lutheranos, Reformatos, et fratres Bohemos, Reformatis mox adjunctos, (communi nomine *Dissidentes*) etiam Sociniani mox accessere. Sub glorioso ejusdem regimine Livonia ab Equitibus Ensiferis (Schwerdtorden) potestati Polonorum permissa; Lithvania in unum cum Polonia regnum conflata. Militia, quod nunquam antea, *stabilis*, per confinia regni, ad arcendas Tartarorum et Russorum incursiones, disposita; et, cum populus (Nobilitas et Clerus) praestare

impensas nollet, quarta redituum regiorum pars ad eam alendam destinata. Sed, dum foris aucta ac communita respublica, domi fere eversum ac subrutum regium imperium, jure, quod, usu utut possessum, tacitum certe ad illud tempus erat, palam ac solenniter nobilibus dato, regem, quem vellent, liberis imposterum suffragiis eligendi, et ei, regnum adituro, leges, quas placeret, (Pacta Conventa) praescribendi. Quod jus suum nobilitatem, post mortem Sigismundi II-i, interitumque regnatricis Domus Jagellonicae (1572) foede admodum exercuisse videbimus.

2. Borussia, ineunte seculo 13, ab Equitibus Teutonicis seu Crucigeris occupata, et diu adversus irruentes Polonos ac Lithvanos fortiter defensa, anno 1466 Foedere Thorunensi bifariam divisa est, regione Occidentali seu Citeriore, juris Polonorum facta; Ulteriore, sub clientela Regum Poloniae, Crucigeris relicta. Inchoata sacrorum in Germania Reformatione, et ea, felicibus auspiciis, in Borussiam quoque perlata, Magnus tunc temporis Magister Ordinis, Albertus, Marchio Brandenburgicus, Reformatam et ipse religionem amplexus, egit cum rege Poloniae Sigismundo I-o, ut, sacro Ordine in Borussia solenniter sublato, sibi, Duci dehinc Borussiae futuro, regionem totam orientalem, Ordinis antea propriam, in usus privatos con-

vertere, et jure haereditario, cum venia tamen regum Poloniae, possidere liceret (1525). Haec origo Ducatus Borussiae (seu Borussiae Brandenburgicae, cui opponitur Borussia Polonica) quem serius anno 1618 (quo Albertus Fridericus, Alberti filius, sine stirpe mortuus) ad lineam Domus Brandenburgicae Electoralem devolutum, anno 1657 potestati ac arbitrio regum Poloniae penitus exemptum, atque anno 1701 ad regium denique fastigium videbimus evectum.

3. Russia non prius, quam sub Johanne Basilide I-o (1462—1505) caput extollere, et in justi formam, amplitudinemque regni excrescere coepit, jugo Tartarorum, quod ducentis amplius annis gesserat, excusso, ac redactis in ordinem regulis, seu Principibus, qui, imperium inter se partiti, passim dominabantur. Johannem Basilidem I-um, qui se universae Russiae principem primus appellavit, et ob res praeclare gestas *Magni* nomen promeruit, in augendo domi forisque imperio secuti sunt filius Basilius (1505—1533, is Czaarrii, quod lingva Sclavonica Regem seu Magnum Ducem sonat, nomen sibi sumsit, usurpatum dein a successoribus, usque ad Petri Magni tempora) et multo etiam magis nepos Basilides II-us, (1533—1584), vir pacis bellique artibus clarus, sed idem astutus, ferox, et impotens, illâ ipsa tamen impotentiâ,

reipublicae per quam utilis et necessarius, in qua, ut in aedificio ruinam minanti, universam compagem convelli ante, quam instaurari, oportuit. Quare eum Petri Magni in condendo imperio praecursorem jure dixeris. Sub eo prima ordinaria militia Strelitziorum instituta: studium agriculturae et artium, accersitis etiam extraneis, suscitari coeptum; officina Typographica Moscuae erecta; novus legum codex adornatus; portus Archangeli apertus; societas commerciorum cum Anglis inita. Ad domesticam gloriam, belli quoque adjecta decora, ereptum nominatim Tartaris Regnum Casan et Astracan, cum magna parte Siberiae, jactumque ita Russorum in Asia Septentrionali dominationis fundamentum; imo, superatis Turcis, ac fere omni mari Caspio juris Russici facto, imperium in Persidem usque prolatum. Conatus tamen de occupanda Livonia, etiam post atrocissimum 24 annorum certamen, irriti fuere.

AETAS II. 1553—1598.

CAPUT XXXVII.

Livonia Statibus Septentrionalibus contentionum et belli prima materia. Diutini certaminis eventus.

Ad medium usque Seculum XVI-um Status Septentrionales suis singuli, aut, si amplius, proximae viciniae rebus occupati, nullum ali-

cujus momenti conflictum, nullam graviorem inter se dimicationem habuere. Ab eo, constitutis domi rebus, nec animus nec materia externo certamini deesse, bella ex bellis oriri, majora rerum discrimina nasci. Livonia prima belli communis occasio. Hanc, una cum Curlandia et Semigallia, Ordo Equitum Ensiferorum (anno 1200 ab Episcopo Livoniae Alberto, ad propagandam religionem Christianam, institutus) suae fecerat ditionis, ineunte seculo 13-o, sed, cum, armis quaesitum imperium, propriis opibus tueri non posset, se, suaque fidei ac tutelae potentiorum Equitum Teutonicorum commisit anno 1237, ita tamen, ut propriis ulterius quoque uteretur Magistris. Haec duorum Ordinum conjunctio duravit ad annum 1513, quo Magister Ordinis Equitum Ensiferorum Plettenbergius, certa pecuniae summa ordini Teutonico soluta, imperium hujus, potestatemque penitus omnem exuit; mox, sacra Reformata cum suis amplexus a. 1525, non multo post, quam Borussia per Albertum secularisata, universas Ordinis possessiones *secularisavit*, imperio earum inter tunc temporis membra aequaliter diviso, summa rerum Magistro, (retineri enim nomen et munus illud placuit) potestate eligendi Magistri, Equitibus attributa. Qui tamen rerum status haud fuit diuturnus. Nam, cum, anno 1558, Johannes Basilides II-us, evolutis 50 annorum

induciis, quas avus Johannes Basilides I-us (anno 1503 Livoniam magna manu adortus, sed repulsus fortiter a Plettenbergio) cum Ensiferis pepigerat, irruptionem in Livoniam fecisset: Magister ejus temporis Kettlerus, ubi se resistendo parem non videret, confugit ad Sigismundum II-um, Poloniae regem, seque ei Livoniam traditurum ostendit, dummodo Curlandiam sibi ac Semigalliam ope Polonorum tueri, et posteris etiam suis jure haereditario possidendas relinquere liceat. Sigismundus, probato consilio, Kettlerum, Ducem Curlandiae creatum, sub fidem ac clientelam recipit anno 1561. Sed de Livonia ferro decertandum fuit. Nam, praeterquamquod bonam ejus partem armis obsessam jam Russi tenebant, Archiepiscopus Riganus, qui post mortem Plettenbergii, occasione belli religionis caussa suscepti, summum sibi, in Archiepiscopatum suum, imperium quodammodo vindicaverat, adversus irruentes Russos auxilium apud Svecos quaesivit. Cupido lucri, vetusque cum Svecia simultas brevi (1563) Daniam quoque praelio immisit. Ita quadrifariam simul, longe tamen maxima contentione Polonos inter et Russos pugnatum, idque alternante diu fortuna: donec Daniâ Sveciae reconciliatâ, (1570) Svecisque et Polonis inter se (1577) pactis, Russi, duobus impares, victos se fateri, et non Livoniam tantum vi-

ctoribus relinquere, sed insuper Careliam quoque, cum magna parte Ingriae, Svecis cedere cogerentur, ex foedere, quod cum Polonis a. 1582, cum Svecis anno insequenti initum. Ab eo divisum inter Svecos et Polonos Livoniae imperium, non tamen, aut lite penitus diremptâ, aut finibus, ut par erat, utrinque constitutis, quod multarum dein causa insequentium turbarum fuit.

CAPUT XXXVIII.

Stirpis Rurikiae masculae in Russia; Jagellonicae, masculae itidem, in Polonia interitus; Filum successionis, in Gente Gustaviana, apud Svecos interruptum.

1. Domus Rurikia Johanni Basilidae II-o 14 annos nonnisi supervixit. Filiorum natu maximum ipse pater, ira repente exardescens, neci dederat; secundus, Theodorus, (Feodor) patrem a. 1584 in imperio secutus, nullam stirpem reliquit; tertium, Demetrium, antequam adolevisset, vivo adhuc Theodoro, affinis Borisius Gudenov, regnum affectans, veneno sustulit. Borisius hic summae rerum, sub ignavo ac imbelli Theodoro, praepositus, rempublicam, domi forisque, egregie diu administravit. Ejus operâ factum, ut Clerus Russicus imperio, seu primatui, ut dicunt, Patriarchae Constantinopolitani, cui hucdum obnoxius erat, exemtus, proprium Caput, Patriarcham Moscuensem, futuris temporibus

haberet. Virtute ejusdem, Siberia, qua parte nondum domita erat, subacta, ac Russorum tota potestatis facta; Kexholmia, Carelia ac Ingria, quam Basilides II-us superioribus annis coactus Svecis cesserat, recuperata, nisi potius redemta, imperio Esthoniae Svecis vicissim, ex foedere, tradito. Quibus rebus gratiâ apud populum, opibusque auctus, regnum Borisius coepit affectare. Id ut consequeretur, fratrem Theodori Demetrium e medio sustulit, imo non abest suspicio, veneno per eum mortem quoque Theodori maturatam esse, quae accidit a. 1698. In Theodoro exstincta est Domus Rurikiae stirps virilis, posteaquam 700 amplius annis regnasset: annos scilicet computando a Ruriki e Scandinavia in Russiam irruptione, cujus ductu Varegi (Wäringer mutato nomine i. q. Normänner) a. 862 terras Russiam mox cognominatas occuparant, Slavis, qui tum ea loca tenebant, subjugatis.

2. Domus Jagellonica, (ante Rurikiam adhuc) postquam fere 200 in Polonia regnasset annos, exstincta est in Sigismundo II-o Augusto a. 1572. Morte Sigismundi atrox de creando rege orta est altercatio. In magna sententiarum varietate, post 10 mensium interregnum, creatus tandem Henricus, Galliarum regis Caroli IX frater, dato, antequam in Poloniam veniret, regnumque capesseret, jurejurando: leges a populo, vel rectius, a no-

bilitate sibi praescriptas — *pacta conventa* dicunt — fideliter observaturum: quas inter leges, cum multis aliis ad firmandas Nobilium opes unice tendentibus, hoc quoque relatum legimus, ut nobilis quilibet potestatem decretis Comitiorum intercedendi haberet, utque vivo rege, de successore agi nefas esset. Henricus, ineunte anno 1574 in Poloniam profectus, coronaque solenniter redimitus, quatuor post mensibus, audita fratris Caroli morte, nocte concubia, insalutatis Polonis, in Galliam profugit. Illi, indignitate rei commoti, diem regi fugitivo ad redeundum constituunt, parere nolentem regno spoliant, et insequenti anno 1575, quo plurimorum inclinabat sententia, sororem Sigismundi II Annam, et destinatum huic maritum, Stephanum Báthory, Transilvaniae Principem, ad thronum evehunt, posthabito Imperatore Maximiliano II, cui Senatus et Primas Regni favebant. Ab eo sapientissime respublica domi forisque administrata; leges salutares conditae; nova dicasteria, unum in Lithvania, alterum in Polonia majori, tertium in Polonia minori, constituta; Cosaci, fera hucusque ac indomita gens, ad humanitatem, cultumque civilem deducti, disciplinam militarem edocti, et in justi formam exercitus redacti, magnum, futuris temporibus, reipublicae, adversus Turcas et Tartaros, propugnaculum; Ucrania ab incursioni-

bus Tártarorum vindicata, et, cum antèa vasta solitudine horreret, oppidis, vicisque ornari, ac frequentari coepta; fines regni prolati, debellatis Russis, Livoniâque juris Polonorum factâ. Mortuus Rex praestantissimus, et Poloniae pernecessarius, in ipso belli Turcici apparatu, a. 1586, maximâ rerum gestarum et virtutis famâ.

Ei, insequenti a. 1587, viduâ reginâ, et Zamoscio regni Cancellario, allaborantibus, sublectus est Sigismundus III, Johannis Svecorum regis filius, e principissa Polonica, Sigismundi II-di sorore progenitus. Habebat competitorem Archi-ducem Maximilianum, Imperatoris Rudolphi fratrem, qui, opibus factionis Zborovianae suffultus, Cracoviam usque jam progressus erat, sed ibi victus a Zamoscio, captusque, non ante, quam regno valediceret, libertati restitutus est. Quinto, quam rerum in Polonia potitus erat, anno, Sveciae quoque regnum consecutus est Sigismundus, morte patris sui Johannis a. 1592: quod tamen brevi amisit, Svecis, cum religionem Evangelicam Catholicae, Sveciam Poloniae, posthaberi a rege intelligerent, palam ab officio deficientibus a. 1600, regiumque imperium in patruum Sigismundi, Carolum, transferentibus, Unde postmodum, praeter diutinum cum Svecis certamen, contemptu etiam regiae dignitatis apud Polonos ena-

to, reliquum omne imperium non bello tantum externo, sed turbis quoque intestinis, districtissimum Sigismundus habuit. Tunc primum ita dictam *Confoederationem Generalem*, semper postea factitatam, nobilitas Polonica instituit, nacta egregiam occasionem, quod Sigismundus contra *pacta conventa*, filium Uladislaum coronari, ac creari regem, se vivo, voluerat. Confoederatio aegre, post tristissimum bienne certamen, nec prius discussa, quam rex a proposito desisteret, et, quod lex de eligendo rege jusserat, denuo confirmaret. Turbis domesticis, et alieniore Polonorum in regem animo factum, ut exitu parum laeto res adversus Svecos gereretur, atque adeo carendum corona Svecica Sigismundo esset. Quod qui factum fuerit, dicere jam ordimur.

3. In Svecia Ericus XIV, filiorum Gustavi natu maximus, regni paterni, sed non virtutum haeres, posteaquam 8 annos, non minus stulte, quam crudeliter regnasset, conjuratione fratris sui Johannis, quem, propter insitam suspicionem regni, carceri diu inclusum tenuerat, imperio prius, dein etiam vita privatus, regnum eidem fratri Johanni III-o reliquit a. 1568. Eo imperante non multo laetius res Svecis processere. Bellum super jure scuti trium Coronarum (quod commune olim trium regnorum insigne, sed, post dissolutam Unionem Calmariensem, intermissum,

denuo sibi vindicare coeperat Fridericus II-us rex Daniae) sub Erico adhuc contra Danos a. 1563 occeptum, sub Johanne summis, terra marique, viribus, sed plerumque infeliciter gestum, pace Stetinensi, Svecico nomini ignominiosa, a. 1570 terminatum. Qua Fridericus, renovato superiorum annorum foedere Malmogiensi (1524), omni omnino in Sveciam jure suo decessit quidem; sed vicissim Johannes, praeterquam quod imperio Norvegiae renunciare, insuper etiam Gothiam meridionalem (Scaniam, Hallandiam, et Blekingiam), partemque Nordlandiae (Jemtiam, et Herjedaliam) Danorum permittere potestati coactus est. Felicius rem gessit adversus Magnum Ducem Russiae Johannem Basilidem II-dum, quem, consiliis et armis cum rege Poloniae Stephano Bathoryo sociatis, possessione deturbavit Livoniae, Careliamque et Ingriae partem Svecico adjunxit imperio, sed brevi (1595), cum Esthonia, regione Livoniae Septentrionalis, permutatas. Domi pejus etiam, quam militiae, res administrata. Svasu enim Catharinae Reginae, ejurata clam Religione Evangelica, hanc per cuniculos oppugnare, Catholicam contra restaurare in Svecia rex aggressus, gravissimis rempublicam involvit turbis, quae anno demum 1586, mortua Regina, pulsisque e regno Jesuitis, sedari potuerunt. Fatis per id tempus Stepha-

no

no rege functo, Poloni filium Johannis, e Catharina Polonica natum, Sigismundum, regem sibi eligunt. At is alienum dum quaerit, proprium amittit regnum. Nam, mortuo a. 1592 Johanne III-o, Sveci, Sigismundum in religione Catholica ab infantia educatum, probe gnari, religione proinde suae veriti, certis eum ante coronationem legibus obstringere voluerunt. Ille profectus in Sveciam, et diu reluctatus, cum inexpugnabilem Procerum constantiam, validumque ab iis collectum exercitum videret, cedendum tempori ratus, postulata facit. Quam primum autem coronatus, coepit alia omnia moliri, religionem Catholicam majori adhuc, quam pater, impetu propagare, ac tueri, exercitum, ad firmandas opes, Svecosque a resistendo deterrendos, ex Polonia arcessere. Id factum indignati Sveci, Sigismundo forte, minuendae invidiae causa, in Poloniam digresso, Ducem Sudermaniae Carolum, patruelem regis, summae rerum praeficiunt; Augustanam Confessionem lege nova sanciunt; exercitium contra religionis R. Catholicae interdicunt. Quibus rebus in Poloniam nunciatis, Sigismundus primum Caroli et Ordinum concordiam turbare, dein, cum id non posset, armata manu in Sveciam redire, et praesentia periculum discutere statuit a. 1598. Venienti fit obviam cum exercitu Svecico Carolus, victumque refuge-

re in Poloniam cogit. Tum Sveci, frustra iterum pacisci cum rege conati, obsequium ei renuntiant; ne tamen legitimam regni successionem pessimo ipsi exemplo intervertere velle videantur, filio Sigismundi Uladislao coronam offerunt, si intra anni spatium in Sveciam venire, et Lutherana religione imbui voluerit. Hoc quoque frustrato consilio, Carolum a. 1600 Gubernatorem Regni, quarto autem post anno, rebellibus Finnis, et quicunque rebus Sigismundi studebant, in ordinem redactis, regem solenniter creant (1604), haeredibusque ejusdem, tam foeminis, quam maribus, regni successionem confirmant. Ita Sigismundus, posterique ejus, in perpetuum e regno Sveciae exclusi; iidem tamen jus suum armis diu ac bello persecuti: quod bellum, vulgo Successionale Sveco-Polonicum dici solitum, acri 60 pene annorum contentione, anno demum 1660, terminatum videbimus.

In Dania nihil hoc aevo memorabile. Fridericus II-us, post gloriosam pacem Stetinensem, excitandis unice artium ac literarum studiis occupatus, regnum morte sua a. 1588 filio Christiano IV tradidit: qui mite, sed bellis Svecicis et Tricennali Germanico exercitum, ad a. 1648 propagavit imperium.

In Borussia Albertus Fridericus patrem Albertum a. 1568 puer secutus, quum ido-

neam ipsam regno aetatem attigisset, medicamenti cujusdam infelici haustu, mente captus, principatu caruit. Respublica, dum vixit ille, per datos a Polono Gubernatores administrata; eodem, a. 1618, sine prole mortuo, summa rerum, cum scitu ac consensu regis Poloniae, ad cognatam stirpem Electoralem Domus Brandenburgicae, in Johannem nominatim Sigismundum, et, hoc non ita multo post (1619. 23. Dec.) fatis functo, in filium hujus Georgium Guilielmum (1619—1640) devoluta est.

PERIODUS SECUNDA

1598—1697.

PARS PRIOR

EUROPA MERIDIONALIS.

ab excessu Philippi II. ad Pacem Ryswickensem 1598—1697.

Aetas I. 1598—1618.

Considerationes Generales.

Nullum gravius inter Status Europaeos certamen, praeter bellum Hispano-Belgicum, quod hoc demum tempore Induciis 12-nibus compositum, supra una continuatione expo-

situm, ne, quam natura colligavit, rerum series, narratione divellatur. In plerisque Statibus turbae, graviorum impendentium tempestatum praenuntiae. Attentione imprimis digni rapidi Galliae sub Henrico IV-o progressus, sed mox, mortuo magno Rege, repente retardati.

CAPUT XXXIX.

Gallia post pacem ad Vervinos. Sullii ingenium, in administranda republica rationes, successus. Henrici IV-i, in ipso maximarum rerum molimine, fatum triste, ac violentum.

Pax Verviniensis (1598) finem belli Hispanici attulit, eademque initium Henrico rempublicam, parto domi forisque otio, ad suum magis arbitrium ordinandi. Id felicitate majore, an sapientia exsecutus sit rex praestantissimus, incertum, delecto sibi consiliorum ministro, ac adjutore dignissimo, Sullio. Raro scilicet eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam suam, suorumque fortunam usi sunt. Maximilianus Bethunius Rosnii Marchio, sub ipsa civilium turbarum initia, natus nobili loco, et in horrenda illa S. Bartholomaei laniena, quod sacris Reformatis addictus esset, pene interemptus, regi a puero familiaris, et ab eo, post quaesitam belli pacisque artibus gloriam, rei demum aerariae praefectus, (Ministre des finances) Du-

cisque Sullii nomine ac dignitate auctus, inter maximos, non recentioris tantum, sed et antiquissimi omnis aevi viros, non immerito annumerandus censetur. Sedulus et solers in agendo, sapiens ac fidelis in consulendo, parcus in dando, in suscipiendis pro republica inimicitiis acer et indefessus, nihil unquam gratiae, nihil privatis rationibus, omnia publicae semper saluti tribuit. Ad haec rara in viro simplicitas morum, et vitae sanctimonia plane singularis. Allaborante eo studium agriculturae excitatum, novae opificiorum officinae, serici maxime, lini, panni, vitri, vasorumque fictilium (porcelaine, et fayence) institutae, commercium domi forisque ampliatum. Quibus rebus brevi et cives locupletati, et, dissoluto gravi (300 millionum libr. gall.) aere alieno, 40 milliones in publicum redacti.

Republica domi constituta, aucta etiam, ad ordinandas totius Europae res, pacemque, si fieri posset, aeternis legibus inter populos firmandam, animum Henricus adjecerat, adhibito itidem in consilium Sullio. Erat autem propositum: ante omnia praepotentis domus Austriacae opes deminuere, ademptis ei, quaecunque in Germania, Belgio, et Italia tenebat; dein, adjutoribus Anglis, Hollandis, Venetis, et Protestantibus Germaniae Principibus, novam possessionum ac regnorum divi-

sionem facere; tum, institutis sex *Monarchiis haereditariis* (Gallia, Anglia, Hispania, Svecia, Dania, et, in Italia Septentrionali, Lombardia, Sabaudo paritura); quinque *electitiis* (Bohemia (Moravia, Silesia, et Lusatia adjectis) Hungaria, Polonia, Germania, Monarchia Pontificia, praeter patrimonium Petri, regnum Neapolitanum quoque ambitu suo complexura); quatuorve Rebuspub. (Veneta (cum Sicilia), Helvetica, Belgica (ex utroque Belgio), et Italica, Status Italiae minores universos comprehensura); denique Turcis, ac, nisi se ultro summitterent, etiam Russis, Europa ejectis: totam Europam in unam velut rempublicam conflare. Cujus singula, ejusdem velut corporis, membra perpetuam inter se pacem ac concordiam haberent; tres primarias religiones, R. Catholicam, et Reformatam utramque, pari imposterum loco habendas, libere ac tuto ubique exerceri sinerent; armis et bello penitus exulare jussis, *Generale Tribunal* quoddam e singulorum Statuum Legatis (Nro 66) nova arte adornandum, et, ne diuturnitate imperii insolesceret, quarto quovis anno renovandum, ac velut ex integro restaurandum, juris ac controversiarum majorum arbitrum, judicemque sibi supremum sumerent; negotiorum, quae leviora essent, disceptatione sex aliis inferioribus *Collegiis*, supremo illi subjiciendis, et per intervalla regionum erigendis, relictâ

Sed has tantarum rerum contentiones, ingeniose magis excogitatas, quam indoli humanae, naturaeque rerum humanarum accommodatas, vel sic tamen, si propositus finis spectetur, laudandas, aeternumque optimi regis benevolentiae monumentum futuras, scelerata Ravaillaci manus repente interrupit. Qui, sive religioso furore inflammatus, sive, ut multi volunt, ab Hispanis, et regina Maria Medicea (quae in locum dimissae Margarethae a. 1600 successerat) ad tantum audendum nefas incitatus, regem, in ipso exsequendi propositi, bellique Austriae (in Hispania simul et Germania) inferendi, procinctu, Lutetiae Parisiorum, media luce, curru, sed, in confertissima hominum turba, forte retardato, vectum, ex insidiis invadit, et, dum regii satellites in expediendo itinere occupantur, virum in omni fortuna vere unicum, exemplar regum, humani generis et sceptri decus eximium, cultro immaniter transverberat 14 Maii a. 1610, aetatis 57.

CAPUT XL.

Quis rerum status in Europa Meridional, in Gallia nominatim, Hispania, Italia, Hollandia, Anglia, et Germania, proxime ante bellum tricennale Germanicum.

Morte Henrici Magni veteres in Gallia renatae sunt turbae. Vidua regina Maria Medicea, imperio, dum filius Ludovicus XIII, 9

annorum puer, adolesceret, arrepto, et, summae rerum vili quodam Italo, Concinio, (vulgo Marechal d'Ancre), quem Florentia secum adduxerat, praefecto, instituta mariti, fide citius, omnia convellit, aerarium, discessu Sullii, exhausit, cum Hispanis, Gallico nomini inimicissimis, non foedus modo, sed et affinitatem junxit, Anna Philippi III-ii filia Ludovico, filia autem sua Elisabetha Philippo IV desponsata. Hinc irae, hinc conjurationes procerum, posthabitos se, non magis, quam, rempublicam domi forisque labefactatam, aegre ferentium; hinc renovatae Hugonottarum et *malecontentorum* armatae factiones. Rege a. 1614. Oct. idoneo ad regnum declarato, et mox Concinio a. 1617 una cum thori et consiliorum socia Eleonora Galigai, violenter caeso, turbae sedatae non sunt. Luinius (Luines) Concinio, cui successit, nihilo melior, turbarum fomitem reginam ab aula et imperio ad breve tempus arcuit quidem, sed, dum multas superioribus annis quaesitas possessiones reddere Hugonottas jubet, bello hos cum rege implicuit a. 1620, quod biennio post, multo utrinque effuso sangvine, ea lege finitum, ut omnium, praeter Montem Albanum, et Rupellam, urbium munitiones recens exstructas Hugonottae diruerent; cetera, Edicto Nannetensi, legibusque in gratiam eorum sancitis, nihil a quoquam derogaretur. Bello non su-

pervixit Luinius, a. 1621 mortuus. Obitu ejus regina filio reconciliata, et in aulam reducta, opeque ejus Cardinalis Richelius ad clavum imperii a. 1624 admotus est, sub quo nova rerum illico nata facies, et ad rationes, quas sequi Henricus IV in administranda republica instituerat, reditum.

In Hispania Philippum II a. 1598 secutus est filius Philippus III, vitiorum patris, sed non virtutum, quae interdum in illo erant, haeres. Qui palatio suo inclusus, et ab omni animi contentione natura alienus, primario Ministro suo Duci Lermae, ignaro juxta ac perdito homini, hic autem se etiam deteriori Calderonio, Comiti Olivensi (quem assentatio sua et Lermae favor e gregario satellite ad regni gubernacula provexit) remp. non regendam, sed lacerandam potius permisit ac vexandam. Duumviris istis grassantibus, Senatus regni abolitus; suppressa Ordinum auctoritas; populus, gravibus tributis, omni argento suo emunctus; novies centena Maurorum seu Maranorum millia, irreparabili reipublicae detrimento, finibus regni (1610) ejecta; foris infeliciter cum Belgis pugnatum, et debilitatarum bello virium confessio Hispaniae extorta induciis duodecennibus, quas Antverpiae a. 1609 cum victoribus Belgis ictas superius diximus. Ante evolutas penitus inducias mortuus Philippus, regnum quietum, sed

debile ac exhaustum successori Philippo IV reliquit a. 1621.

Apud Italos pacata quidem, sed ad interitum, et ruinam magis in dies cuncta vergentia. Hispania, parto Mediolani et Neapoleos imperio, totius fere Septentrionis et Meridiei domina; Paulus V Pontifex (1605—21) ut ut libertatis Italicae multo quam dominationis Hispanicae amicior, gentem, Sacrae Sedi ut addictissimam, ita privatim quaestuosissimam, violare veritus; inter Genuenses et Sabaudum, Carolum Emmanuelem, vulgo Magnum (1580—1630), atrox simultas; Florentiae Duces Medicei, studiis artium, et provehendis mercatura opibus intenti; reliqui Status minores, Mantuanus (ubi domus adhuc Gonsaga regnabat), Parmensis, et Mutinensis (Modena) Hispanicis in Italia Proregibus obnoxii, horum, non suo, arbitratu, rempublicam gubernabant; Venetiae, trium Hispanorum, Gubernatoris quippe Mediolanensis, Proregis Neapolitani, et legati ipsius Venetiis commorati scelere ac conspiratione pene funditus (1618) eversae, cuncta indignante Europa, solis Venetis, metu gravioris mali, dissimulare justissimum dolorem coactis.

Hollandia, induciis a. 1609 Antverpiae cum Hispano initis, metu externi hostis liberata, communi rerumpublicarum malo, civilium factionum procellis agitari caepta. Fa-

ctionum una, cui *Arausiacae* nomen, augeri potentiam Locumtenentis (Stadthouder) et imperium ab Ordinibus ad Locumtenentem transferri, altera, vulgo *Antiarausiaca*, dividi imperium, et Ordinibus potiores, quam Locumtenenti, partes in republica tribui, cupiebant; Factionis Arausiacae Locumtenens ipse Mauritius, adversariae Barnevaldius, principes numerabantur. Simultas, tecta diu et clandestina, in apertum ut erumperet certamen, celebres in Historia Ecclesiastica *lites Arminianae* fecere, in Academia Lugdunensi (Leyden) inter Jacobum Arminium (1609) et Franciscum Gomarum enatae, dum hic rigidam Calvini *de gratia et praedestinatione* sententiam tueretur, ille eandem, ut libertati hominis, virtutisque studio, simul et justitiae supremi Numinis inimicam, temperandam quodammodo censeret. Sententia Arminii multis, atque inter hos etiam Barneveldio probata, cum quotidie magis invalesceret, et vehementiores Gomaristae victoriam, quam argumentis non poterant, armis et manibus parare velle viderentur; turbis passim per civitates excitatis, Pastoribusque et Magistratibus, qui Arminii doctrinam secuti, loco motis: Ordines Hollandiae, non abnuente Barneveldio, qui *Syndicus* ejus provinciae erat, militem, ad praepediendos graviores tumultus, tuendamque civium pacem, inconsulto Mauritio colligunt.

Eam ille, velut a fortuna oblatam, arripit occasionem ulciscendae veteris injuriae, tollendique Barneveldii, cujus opera, atque auctoritate, et nuper, pactis cum Hispano induciis, ereptam sibi bello crescendi materiam, et in praesens cohiberi potentiam aegerrime ferebat. Suscepto igitur justae, ut credi volebat, causae, contra utriusque, sacrae et civilis, reipublicae turbatores, patrocinio, assertisque Arminianorum (qui et Remonstrantes, Quinquarticulani item dicti) in frequentissima Synodo Dordracena (1618—19) publice damnatis, viros partis ejus principes, atque eosdem factionis Antiarausiacae capita, Barneveldium, Hoogerbetium, et, summum illud literarum, seculique sui lumen, Hugonem Grotium, dicere causam coegit. Horum duo posteriores perpetuis carceribus addicti, unde tamen Grotius, astutae juxta ac piae uxoris beneficio, cujus nulla unquam obliterabit memoriam oblivio, arcae literariae inclusus, feliciter postmodum elapsus est; Barneveldius, septuagenario major, summa virtutis et innocentiae apud omnes bonos fama, patriae, quam constantissime semper defenderat, infestissimis hostibus Hispanis proditae, falso insimulatus, optime meritum de republica spiritum, inter manus et ministerium carnificis, morte indignissima, reddidit a. 1619. Casu Viri consternata Ordinum auctoritatis propugnatrix factio,

consilium vindicandae libertatis distulit, non deposuit; adversariis crevere animi, sed crevere simul et tacita apud populum odia, exitiosa procul dubio reipublicae futura, nisi externus timor, maximum concordiae vinculum, animos ad breve tempus junxisset. Inter has civilium furorum procellas, quas nunquam incidisse, tam gloriae Mauritii, quam humani generis intererat, laetissima rerum Belgicarum incrementa. Nam et commercium, 1200 navibus in eo occupatis, ad omnes cogniti orbis partes extensum, et numerus armatorum ad 30 peditum, et 4 equitum millia completus. Ad haec, exercitata in omni artium genere ingenia; viri pace belloque magni, sed maximus omnium, militiaeque per Europam longe tum praestantissimus magister Mauritius.

Anglia illam virium et dignitatis opinionem, quam sub Elisabetha apud exteros habuit, omnem, regnante Jacobo I (1603—1625), amisit. Hunc Mariae Stuartae e Darlaeo filium Elisabetha, partim jura sangvinis respiciens, partim admissum in matrem nefas quodammodo expiatura, successorem sibi moriens designarat. Jacobus, VI-us ejus nominis Scotiae, I-us Magnae Britanniae (quod nomen tribus ab eo unitis Angliae, Scotiae et Hiberniae regnis inditum) rex, desertis statim magnae reginae, cui successit, vestigiis, pa-

cem cum Hispanis fecit a. 1604, prodita Hollandorum, una et Reformatae religionis, Anglicique imperii et populi causa. Inde in spem magnam Angli Catholici pristinae dignitatis, sub novo rege, Catholica alioquin matre nato, recuperandae venerant: cui cum satisfactum spei non fuisset, capiunt consilium atrox et desperatum, regiam omnem familiam, regem ipsum, cum universis regni Ordinibus, dum comitia celebrarentnr, ruinae ejusdem ruderibus involvendi, actis sub domum comitiis destinatam cuniculis, subjectaque clam magna pulveris pyrii, et ignem facile concipientis materiei omnis copia. (1605. Nov.) Conspiratione — cui Pulverariae nomen — cum jam prope esset ut erumperet, levi sane indicio (literis e grege conjuratorum unius, amicum, ut a conventu Ordinum abstineret, celato nomine monentis; magnum enim ac inopinum congregationi impendere periculum, quod *citius transiturum sit, quam acceptas amicus literas istas exusserit*) non sine nutu divini Numinis patefacta, conjurati capti, supplicio affecti; civibus autem regni omnibus ac singulis, frustra reclamante Pontifice, jusjurandum exactum: pro supremo rerum omnium arbitrio Jacobum regem sibi haberi; neque Pontifici aut cuicunque alii impiam illam potestatem datam credere, ut regna regibus abrogare, aut subjectos populos

debito imperantibus ac magistratibus officio solvere liceat. Atque hoc unum satis indolem, naturamque regis declarat, qui religioni Catholicae, quod multis constat indiciis, privatim favens, Pontificiam nihilominus auctoritatem publice insectatus est. Sed nimirum inerat regi, proprium ac innatum familiae Stuartae vitium, proferendae potestatis regiae ingens, et, dum voto potiatur, nil pensi habens cupido. Hinc structae libertati insidiae, hinc infensus in Presbyterianos animus, utpote non magis Hierarchiae, quam Monarchiae, creditos osores: hinc vicissim tacita populi in regem et regnatricem domum odia, quae, si modo adfuisset occasio, sub Jacobo adhuc videntur eruptura fuisse; maxime, postquam Sommersetus (1611) et Buchinghamus (1616), insolentissimi ambo, nulla animorum et rerum tractandarum cognitione, juvenes, ad clavum reipublicae admoti. Sed rex, pacis, vel cum regni detrimento, ad reprehensionem usque, studiosus, populique adeo sui opis et auxilii, ad sublevandas necessitates publicas, non indigens, locum offensioni et vindictae reliquit nullum. Ceterum non defraudetur laude sua Jacobus: sub eo pacata et in ordinem redacta Hibernia; scriptae leges, in locum earum, quas, precarias plerumque, usus tantum et consvetudo invexit, (vulgo jus consvetudinarium) substitutae; cura

navigationis, et faciendae mercaturae praecipua habita; sublata *monopolia*, nascentibus rebus, quam adultis, convenientiora; novae expeditiones et coloniae in Americam Septentrionalem, et utramque Indiam missae; denique studia litterarum, a literato ipso rege, non parum promota.

Germaniae turbulenta haec, et magnorum impendentium malorum praenuntia tempestas. Rudolphus II patrem Maximilianum a. 1576 in imperio secutus, omne regiminis sui, ad 36 annos propagati, tempus inerti otio, studio Alchimiae et Astrologiae deditus, transegit. Per eam occasionem, diversarum partium Principes, quidlibet sibi licere arbitrati, libere invicem grassantur. Evangelici, *Reservati Ecclesiastici* parum memores, Episcopatus Catholicos plures suae ditionis faciunt; Calendarium novum, a Gregorio XIII (1582) emendatum, eam ipsam ob caussam, quod Pontifici originem deberet, pertinaciter rejiciunt. Catholici Archiepiscopum et Electorem Coloniensem, Gebhardum, a Pontifice, quod sacra Reformata amplexus esset, exauctoratum, nolentem parere, communibus armis aggressi, Catholico Bavariae Duci, Ernesto, cedere dignitatem suam cogunt a. 1584. Episcopatus Argentoratensis, scissâ Canonicorum, de creando Episcopo, concordiâ, dum Carolum Lotharingicum Catholici, Joh. Geor-

gium

gium Brandenburgicum Protestantes, praeferri volunt, bifariam inter duos competitores divisus a. 1593, successu temporis totus, annuente Brandenburgo, sub potestatem Lotharingi redactus 1604. Urbs Imperialis Donauwerth, doctrinae Protestantium addicta, quod vicino Abbati Dillingano, solenni pompa preces publicas (vulgo processionem) instituenti, transitum negasset, sacrum agmen ac apparatum omnem disturbasset, decreto Imperiali proscripta, et, postquam frustra diu restitisset, in deditionem a Maximiliano Bavaro accepta, privilegiis omnibus orbata, atque a Circulo Svevico, ad quem pertinebat, avulsa est 1607. His rebus irritati, atque in dies graviora veriti Protestantes, foedus armorum inter se, quod *Unio* audit, a. 1609 ineunt, delecto sibi duce Friderico V, Electore Palatino. Unioni *Ligam* insequenti anno Catholici pro sua parte opponunt, eique bellicosum Bavariae Ducem Maximilianum concordibus votis praeficiunt. Per id tempus exstinctâ Domus Juliacensis stirpe virili (1609), cum possessiones ejus amplissimas (Julich, Berg, Cleve, Mark, Ravensberg, Ravenstein) plures Germaniae Ordines, suo quisque jure, sibi vindicarent, tragediae aliquanto etiam graviores excitatae sunt. Elector Brandenburgicus, et Dux Neoburgicus, facto magis quam consulto opus esse rati, dum reliqui compe-

titorum deliberant, armis postulatas ditiones, pacta inter se divisione, occupant. Quos cum Elector Saxoniae, fide Imperatoris implorata, pellere regno vellet, in partem certaminis venere etiam Belgae Foederati et Galli, a Brandenburgo et Neoburgo, ad quos inclinata demum victoria, in auxilium vocati.

In Hungaria, et reliquis, quae Austriam dominam agnoscunt, regnis, nihilo melius res, imperante Rudolpho, processere, partim ob Turcas, ferro de possessione Hungariae decernentes, partim ob impeditam religionis Reformatae libertatem, et inde excitatos tumultus. Stephanus Botskai, Supremus Comes Bihariensis, postmodum (1604) Princeps Transilvaniae, Hungaris, legionum Germanicarum insolentiam avaritiae junctam perosis, et arma ad tuendam libertatem capientibus, ducem se professus, annitentibus imprimis Protestantibus, quorum acerbissimae querelae, adjuncta etiam Turcarum ope, Hungariam superiorem dicto citius occupat. Repentino Botskaii successu territus Imperator, pacisci cum eo statuit. Ille superior licet, hinc Martem dubium, illinc infidam cum barbaris amicitiam reputans, oblato per eos regio titulo carere, quam Imperatori adversari amplius, pacemque distinere, maluit. Ita fratris Rudolphi Matthiae interventu Pacificatio icta Viennensis a. 1606, cui, tanquam funda-

mento, religionis Evangelicae per Hungariam innittitur libertas. Rebus interim segnitie Imperatoris quotidie in deterius ruentibus, Principes Austriaci, de gentis suae dignitate, imperiique majestate solliciti, Matthiam caput sibi ac supremum rerum suarum deligunt moderatorem. Quem cum propterea regni ad eum spectantis successione excludere velle videretur Rudolphus, occupat fratrem Matthias, et, auxilio Protestantium subnixus, primum a. 1608 Austriam et Hungariam, triennio post (1611) Bohemiam quoque et Silesiam, cum Moravia ditioni suae subjicit. Ad eundem obitu Rudolphi a. 1612 Imperatoria quoque, Ordinum suffragiis, devoluta majestas, quam septem non amplius annis tenuit, mortuus sub ipsa belli 30-nalis Germanici initia a. 1619.

Aetas II. 1618—1648.

Considerationes Generales.

Majora dehinc bella, et, seu viribus hostium, seu temporum regionumque, quibus bellatum, spatio aestimentur, superioribus longe atrociora dicentur. A tenui illa initio profecta, adjunctis rerum, hominumque cupidate in tantum crevere, ut universam pene Europam ruina sua involverent. Primam certamini facem religio subdidit; inde, Ferdinandi II an

bitio, duarum Domus Austriacae stirpium, quas Caroli V-i mors distraxerat, renata unio, Galliae, Richelio rempublicam gubernante, atrox cum Austria simultas, vocatique ad partes Protestantes Septentrionis Principes, incendium vehementius accenderunt, trigesimo vix demum anno aegre exstinctum. Bellum, quia Germaniae gravissimum incubuit, *Germanicum*, *Tricennale* autem, non quasi totos 30 annos continenti impetu bellatum fuisset, sed quod exigua interim ab armis quies contigit, appellatum.

CAPUT XLI.

Initium belli 30-nalis Germanici in Bohemia; Friderici fuga et proscriptio; irrita Brunsvicensis et Mansfeldii constantia; Ferdinandus II-us triumphatae cervicibus imminens Germaniae.

Gliscens sub Rudolpho inter diversarum religionum fautores odium, extremo Matthiae tempore in apertum erupit bellum. Origo ejus in Bohemia; occasio ereptum Utraquistis seu Evangelicis templum, quod Braunaviae recens exstruxerant. His Rudolphus, defectionem veritus, in literis quas dicunt *Majestatis*, praecipua dederat privilegia, inter caetera, liberum religionis exercitium, potestatemque Scholas et templa, imo Pragae Universitatem quoque, suis sumptibus erigendi. Pleraque horum, Matthia rerum potito, in-

dignissime laesa et violata, maxime, postquam sedes Imperii Praga Wiennam translata. Illi questi saepius, cum nihil proficerent, occasionem ex templi, quod diximus, jussu Archiepiscopi Pragensis facta demolitione captantes, conventu Ordinum Pragam indicto, viros, ab Imperatore ad dissolvendam congregationem, suo utpote injussu factam, delegatos, de fenestra domus Praetoriae, ubi illi considebant, impetu facto projiciunt 23-a Martii 1618. Ea re signo velut pugnae dato, castra, collecto exercitu, communiunt; tum, summâ rerum 30 virís (Directoribus) commissâ, Archiepiscopoque Pragensi et Jesuitis, qui causa malorum crediti, pulsis, in Austriam irrumpunt, ducibus Comite Thurn, et audaci illo bellatore Comite Mansfeldio, Belgii quondam Rectoris Mansfeldii filio, sed extra matrimonium suscepto, quem praedae et vindictae cupido Bohemis adjunxit, iratum Austriae, quod amplissimas patris in Belgio possessiones adire per eam prohibitus fuisset. Mortuo inter haec Matthia (1619 Mart.), Bohemi Protestantes Ferdinando II-o, (quem, Ferdinandi I-i e Carolo filio, Stiriae Duce nepotem, improlis Matthias succedere sibi, et a. 1617 Bohemiae, insequenti autem anno etiam Hungariae regem solenniter inaugurari jusserat) conditionum, quae regnaturo propositae erant, non

servatarum praetextu, 'regnum' adimunt, et ad Fridericum V-um, Electorem Palatinum, (1619. Sept.) deferunt, qui Mauritio Hollandiae Gubernatori cognatus, Unionis Evangelicae in Germania caput, gener praeterea erat Angliae regis Jacobi. Ad partes ejusdem se applicant Moravia, Silesia, et Lusatia, exemplum rebellium Bohemorum secutae. Per id tempus versa etiam ab Hungaris in Ferdinandum arma, duce Gabriele Betlen, Principe Transilvaniae, qui Protestantium Hungarorum, simul et Bohemorum causam rogatus susceperat defendendam. Auxit discrimen, in Austria, inque ipsa civitate Imperiali Wiennae, quam oppugnatum hostes venerant, prorumpens seditio. Has tamen tot ac tantas undique impendentes tempestates Ferdinandi sustinuit constantia. Qui, postquam Imperator Francofurti, necquidquam renitente Palatino, electus, adjuncta sibi, super foederatos jam antea Hispanos, Ligae, Maximiliani nominatim Bavari, imo et Electoris Saxoniae, ut ut Protestantis, ope ac benevolentiâ, ad haec, pactis etiam cum Betlenio (1620) induciis, Fridericum, epulis interea, ludis ac spectaculis, quam posset magnificentissime, apparandis Pragae occupatum, bello trifariam simul, in Palatinatu, Lusatia, et Bohemia aggressus, opprimit imparatum, et 8-a Nov. 1620 ad Pragam (in monte albo — auf dem weiszen Berge) a

Maximiliano, Tillyo, Wallensteinio, qui auxiliaribus, et Bouquoio, qui Imperatoriis praeerat, victum, fugere in Hollandiam cogit, causâ, quam susceperat, turpius? incertum, an flagitiosius? proditâ. Inde Bohemia, Moravia, Silesia, et Lusatia nullo fere negotio receptis, tumultuum auctores, numero ad 27, suplicio affecti, *Literae Majestatis* revocatae; Jesuitae restituti; Ministri contra Evangelici, cum 30 et amplius familiarum Protestantium millibus, cedere regno coacti; per universum, qua late patebat, Imperium Austriacum, Hungaria solum et Silesia exceptis, ferro Evangelica religio exstirpata. Neque id satis irato Imperatori visum, sed spirans vindictam, privata auctoritate, Ordinibus Imperii prorsus inconsultis, et idcirco factum vehementer indignantibus, Fridericum (1621) sociosque proscribit, et Bavaro cum Hispanis exsequendam rem imperat. Quibus rebus territi Protestantium Principes Foederati (Unio), qui haereditarias Friderici possessiones receperant tutandas, pacti cum duce Hispano Ambrosio Spinola, qui profectus e Belgio, torrentis instar Palatinatum Rheni inundarat, neutrarum se partium futuros, positis armis declarant; neque ita multo post, cum caussa communis defensoribus vel maxime indigeret, iniți inter se societatem foederis penitus dissolvunt. Secuta pax (Nicolsburgi 1622) cum

Hungaris et Betlenio, cujus non tanta in persequendo bello constantia, quanta in capessendo cupiditas erat. Quatuor tantum, ab re et opibus destituti, sed bellicosi Principes, quod virium, plerisque etiam prudentiae militaris deerat, solertia hoc et audacia compensantes — Georg. Fridericus Marchio Durlacensis; Joh. Georgius Brandenburgicus Dux Jaegerndorfensis, Episcopus nuper Argentoratensis; Christianus Brunsvicensis, juvenis, sed promtus manu, Episcopus Halberstadiensis; et invictissimus omnium supra dictus Mansfeldius — ausi arma ferre contra Imperatorem, Ligam, Hispanosque simul, et proditam a tot potentissimis Principibus Friderici, Germaniaeque libertatis causam, capitis sui periculo defendere. Horum, Mansfeldii imprimis ac Christiani, virtus et constantia plane admirabilis, quinquennium integrum victricis Austriae remorata impetum, gravi populorum, apud quos bellatum, detrimento, cum sumere ex alieno quod non habebant ipsi, et praeda militem alere ambo cogerentur. Superior nihilominus fuit res Imperatoria. Nam licet Tillyus, cui, post Hispanos in Belgium rerudescente bello revocatos, cura belli ad Rhenum demandata, victus a Mansfeldio ad Wisloch a. 1622, brevi postea, profligatis vicissim per Tillyum Durlacensi et Brunsvicensi, Palatinatus omnis in hostium potesta-

tem redactus, et Friderico, ut redire in gratiam cum Imperatore posset, foederis cum Brunsvicensi et Mansfeldio rumpendi expressa necessitas, qui in Belgium inde contra Hispanos militatum abierunt. At Imperator, necdum satiato vindicta animo, simul dominationi suae, per eam occasionem, in Germania stabiliendae intentus, in conventu Ratisbonensi (1623), cui nec sufficienti Ordines numero, nec alii fere, quam Imperatori addicti, intererant, dignitatem Electoralem Palatino eripit, ereptamque, Bavaro, in praemium navatae operae, attribuit, magno sane rei Protestantium detrimento; nam, cum 3 antea Protestantes, 4 Catholici Electores fuissent, duo dehinc nonnisi Protestantes (Saxo et Brandenburgicus) qninque contra futuri erant Catholici, tres utpote Archi-Episcopi (Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis) Austria praeterea (penes quam dignitas Electoris Bohemici) et Bavarus. Id quorsum evaderet, non ignari Saxo et Brandenburgus, restitere paululum; sed brevi metus alteri, alteri (Saxoni) Lusatia, praestiti in Silesia recipienda laboris merces ab Imperatore data, occlusit vocem. Soli iterum adversati Brunsvicensis et Mansfeldius, sed nullo successu, Brunsvicensi, antequam duo exercitus conjungi possent, per Tillyum debellato. Arma resumserat etiam Betlenius a. 1623, sed

facile denuo placatus. Inde copiis latius per Germaniam in dies diffusis, et Imperatore ad arbitrium omnia agente: Ordines tunc demum, quamvis sero, intellexerunt, cum Protestantibus fractas opes omnium, publicamque discrimini expositam esse libertatem.

CAPUT XLII.

Danus oppressae dominatu Ferdinandi II-i Germaniae superveniens, proditione suorum debellatus, et armis hostium. Pax Lubeccensis.

Tota jam Meridionalis Germania dominatu Ferdinandi torpebat oppressa; diriguere metu animi, et cum animis spes quoque jam defecerant omnium. Tum Ordines Saxoniae Inferioris, cum, profligato quamvis bello, in armis adhucdum Imperatorem, structasque religioni, una et libertati insidias viderent, audendum aliquid pro sua, proque omnium salute rati, Christianum IV-um regem Daniae, et eundem Holsatiae simul Ducem, praesidium rebus suis ac moderatorem peregre arcessunt. Illum, praeter communem cum periclitantibus Germanis religionem Evangelicam, possessiones etiam, quas in Germania, in Holsatia nominatim habebat, propensum ad ferendam opem reddiderunt, e publica scilicet ruina, privatarum quoque rerum jacturam non sine caussa veritum. Conditionem igitur non gravatim accipit, et a. 1625, icto cum Anglis et Hol-

landis foedere, (quod tamen fructu caruit) hortantibus etiam Gallis, in Germaniam venit, et, posteaquam ab Ordinibus Saxonicis Dux quod ajunt Circuli creatus summam imperii; a Brunsvicensi et Mansfeldio auxiliares copias, accepisset, bellum Ferdinando infert, sed fortuna parum sibi benigna. Nam primum lapsu equi, et inde consecuto vulnere, in persequendo ocyus bello impeditus, insequenti autem anno, divisis per summam imprudentiam viribus, et parte copiarum Mansfeldio ad invadendam Silesiam, parte altera Brunsvicensi ad Göttingam et vicinas urbes occupandas datâ, cum sui nihilominus copiam Tillyo faceret, victus gravi praelio ad Königslutteram (27 Aug. 1626), incisas omnes spes suas videre, et ad Stadam usque referre gradum coactus est. Superatus eodem tempore etiam Mansfeldius a Wallensteinio, qui Imperatoris nomine, sed suis sumptibus, collecto exercitu, bellum gerebat, Dux Friedlandiae e nobili Bohemo, in praestitae operae praemium ab Imperatore creatus. Irrupit tamen in Silesiam Mansfeldius, Hungariam inde petens, ut se cum Betlenio ad arma iterum reverso conjungeret. Sed Betlenius, fraudata nunc quoque fide, in gratiam cum Imperatore celeriter redit; infestus interim instat Wallensteinius. Ita resistendo impar, exercitu dilapso, dum per Dalmatiam evadendi quaerit

occasionem, morbo gravi implicitus, in vico ignobili prope Jadram (Zara) moritur exeunte anno 1626. Idem annus rapuit etiam Christianum Brunsvicensem, intemperantia vitae, non satis inter auctores constat, an veneno, absumptum. Morte ejus Gottinga, et quascunque dudum forti dextera vindicarat, urbes, in Tillyi omnes potestatem venerunt. At Christianum IV, inclinatâ semel fortunâ, foederati Ordines destituunt plerique, et arma, vindictam veriti, deponunt. Inde viribus ad resistendum non suppetentibus, pejori in dies loco res esse coeperunt regi. Proximo biennio per Tillyum tota Inferior Saxonia, per Wallensteinium etiam Jutia, et omnes mari Baltico adjacentes orae ad Stralsundam usque ita inundatae, ut Dano in terra continenti praeter Glückstadium (ad Albim) nihil esset super. Imo Wallensteinius, cui Imperator, ut factas ab eo in bellum impensas praestaret, Ducatum Mecklenburgicum seu Megalopolitanum, (pristinis Ducibus, quod Danicarum partium fuissent, a. 1628 Jan. proscriptis) Praefecti insuper maris Baltici, Ducisque Imperialis nomen ac dignitatem donarat, classe in portu Wismariensi aedificata, ad Stralsundam quoque oppugnandam accesserat, unde tamen, supervenientibus Danorum et Svecorum, urbiumque Hanseaticarum Hamburgae et Lubeccae auxiliis, irrita re, amis-

sis suorum millibus 12, coactus est recedere 1628 Sept. Ibi, cum plena hostium essent omnia, spes restituendae rei nulla, defungi periculo Danus maturans, Pacem Lubeccae a. 1629 12 Maii cum Imperatore facit, qua amissas bello possessiones recuperavit omnes, sed dare vicissim fidem jussus, non ultra rebus Germaniae ullatenus semet immixturum.

CAPUT XLIII.

Edictum Restitutionis. Gustavi Adolphi in Germaniam adventus, victoriae, mors.

Ante pacem adhuc Lubeccensem, prospero rerum successu elatus Imperator, proposito Edicto, (1629. 9-a Mart.) quod *Restitutionis* ab argumento dictum, bona Ecclesiastica, quaecunque Protestantes post Transactionem Passaviensem (1552) occupassent, reddi Catholicis; pacemque Augustanam (1555), beneficio ad Reformatos proprie ita appellatos non extenso, ad solos Aug. Conf. addictos restringi, imperaverat, sperans, fore, ut labefactatis hoc modo Protestantium reliquiis, Catholici, animis partim metu, partim favore occupatis, minus cunctanter collo jugum servitutis recipiant. Quod secus accidit. Nam, cum mandata sua ferro immaniter exsecutus, Danoque reconciliatus, a. insequenti (1630. Jul.) in Comitiis Ratisbonensibus, filium suum Ferdinandum creari regem Romanorum cuperet, multis,

sed acerrime omnium renitente Bavaro, quem, super Electoralem dignitatem, Palatinatu Superiori proxime (1628) auctum, devinctissimum sibi crediderat, non modo, quod volebat, non obtinuit, sed Wallensteinium, propter insitam animi arrogantiam, cunctis, praeterquam praedae et rapinarum illecebris delinito militi, invisum, ab armis et officio, in gratiam *Ligae*, dimittere coactus est. Nihilominus eversa Protestantium res, ac profligata jacebat; sed eadem, artibus Richelii, armisque Gustavi, spe felicius, brevi instaurata.

Richelius, a quo arbiter ac moderator rerum Gallicarum factus, crescentem Austriae potentiam omni modo impedire conatus, cum, Dano in Germaniam evocato, belloque in Italia cum Hispanis occepto (vid. Cap. XLVI.) parum ad eam rem profectum intelligeret, per Svecos creare periculum Imperatori statuit. Induciis igitur inter Svecum et Polonum, acri dudum certamine inter se commissos, conciliatis (1629. Sept.), Gustavum sponte propendentem ad bellum impulit. Neque enim condonare Imperatori Svecus poterat, data per eum Polono hosti auxilia, pulsos regno cognatos sibi Duces Mecklenburgicos, classem mari Baltico a Wallensteinio adornatam, et, super structas isto pacto Septentrioni insidias, legatum quoque suum, quem Lubeccam ad participanda pacis consilia miserat,

sup rbissime ab eodem repudiatum. Accessere periclitantium fratrum Germanorum querelae, ne se ejusdem sangvinis, religionisque, opprimi penitus ac exscindi pateretur, tacitis saepe precibus obsecrantium. Germaniam igitur repente, ne indicto quidem ante bello, parva (15,000) sed delecta manu, ingressus a. 1630. 24 Jun, Pomeraniam, ubi escenderat scilicet, finitimasque huic regiones, pulsis Imperatoriis, occupat, Duces Mecklenburgicos in pristinas possessiones restituit, Bogislaum Pomeraniae Ducem, metu Imperatoris cunctantem, invitum sequi causam et arma Svecorum jubet. Inde, anno insequenti (1631) ulterius in Saxoniam Superiorem penetrans, Francofurto ad Viadrum expugnato, et Tillyo (qui, dimisso Wallensteinio, conjunctum super Ligae et Imperatoris exercitu imperium habebat) tota Marchia Brandenburgica excedere coacto, potentissimos Brandenburgiae et Saxoniae Electores, in societatem foederis, invitos itidem, animis adhucdum inter spem et metum fluctuantibus, pertrahit. Solus Hassiae Landgravius, isque aliquando etiam maturius, volens lubensque, amicitiam regis, icto foedere (1630. Nov.) amplexus. Non multo post Hassum, cum Gallo quoque foedus regi conventum (1631. Jan.) ea lege, ut rex 30 peditum, 6 equitum millia contra Austriam in aciem educeret, Gallia 300 thal.

millia regi quotannis solveret. Majoribus hinc animis propositum suum rex persecutus, et cum Tillyo (qui, Magdeburgo interim 10 Maii expugnâto, et inaudita omnibus seculis crudelitate funditus pene deleto, exitium Saxoniae, Protestantiumque ceterorum rebus minabatur) prope Lipsiam d. 7. Sept. 1631 congressus, proelio hoc uno non victoriam tantum duci fortissimo, ac per 11 annos semper fere victori, sed et partam tot superiorum temporum continentibus victoriis gloriam omnem eripit: tanta subito rerum commutatione secuta, ut Ordines Germaniae, ii etiam, qui cladibus confecti jam jam procubuerant, animis viribusque resumptis, proelium redintegrarent; hostes satis haberent, sua si tueri ac defendere possent. Rex, dato Saxonibus negotio, ut Bohemiam irrumperent, ipse, itinere versus Rhenum inflexo, brevi temporis spatio, adsectante velut virtutem fortuna, res incredibiles gerit, Thuringia, Palatinatu toto, Franconia item et Svevia sub potestatem fide citius redactis, et, postquam Tillyum, ad Flumen Licum (Lech) transitu prohibere conantem, gravi iterum pugna (quae Tillyum ipsum abstulit) confecisset 5-a Apr. 1632, ad Metropolim usque Bavariae, Monachium, armis victricibus progressus. Interim Saxones, Pragâ captâ, totam suae ditionis faciunt Bohemiam, sed mox segniter rem gerentes, pecunia

cunia enim corruptos duces constabat, gradum referunt superati a Wallensteinio; quem, morte Tillyi, rebus adversis necessitatem periti ducis facientibus, ad exercitum ut reducere posset Imperator, gravissimas et sane ignominiosas per eum imponi sibi conditiones passus est. Wallensteinius, liberata hoste Bohemia, copiisque, post longam tergiversationem, cum Bavaro conjunctis, bellum ultro inferre, et Norimbergam, urbem Protestantium in Franconia primariam occupare statuit. Ad ferendam urbi opem accurrit rex, quaeritque occasionem pugnandi, cum non inveniret, castra castris hostium opponit. Ibi, postquam bimestre amplius spatium sedendo necquiquam consumpsissent, Gustavus desperata hostilium castrorum expugnatione, in Bavariam, Wallensteinius, regionibus, qua ibat, flamma ferroque devastatis, in Saxoniam irruit. Saxo, cum omne ad se bellum translatum videret, periculo territus, regem circumsistit, atque obsecrat, ut suis fortunis consulat, neu se ab hostibus diripi patiatur. Cujus precibus rex permotus, nec quid ille meritus, sed quid sua fide ac humanitate dignum esset, spectandum sibi ratus, dimisso, quod ceperat, invadendae Austriae salubri consilio, in Saxoniam magnis itineribus contendit, et ad Lutzenam, non procul Lipsia, 6-a Nov. 1632 cum Wallensteinio

confligit. Ubi ipse in primo statim concursu, dum suos ad proelium magnis animis ineundum cohortatur, duobus vulneribus, incertum unde, ab hoste dimicante, an a latitante inter suos insidiatore, acceptis, occubuit quidem, at ira ac dolore efferatus miles, desideratissimi regis, ducisque sui mortem fortiter ultus est, partâ, sub Bernhardo Vinariensi (Veimar), egregia de Wallensteinio victoria, caesoque in pugna magni nominis duce Pappenheimio, qui fessis jam et pedem referentibus Imperatoriis, valido cum exercitu, integris et viribus et animis superveniens, dubiam diu victoriam reddiderat. Fuit Gustavus Adolphus annos natus 37, cunctis, quae belli ducem, rectoremque reipublicae, non magis, quam quae hominem et Christianum vere bonum ornant, virtutibus insignis, ac ob eam causam ipsis aestimatus hostibus, ut non immerito *Magnum* eum, virtutes admirata posteritas appellarit.

CAPUT XLIV.

Svecorum, regi suo, et virtus et fortuna superstes. Oxenstierna. Funestus Wallensteinii exitus. Res Svecica praelio ad Nordlingam repente inclinata, Gallicis subsidiis denuo erecta. Bernhardi Vinariensis et Banneri obitus.

Morte Gustavi despondere animum Protestantes, recreari contra, spesque affectare no-

vas Catholici Germaniae Ordines, neutri cum dubitarent, Svecos, casu regis sui attonitos, finibus ultro excessuros Germaniae. Quod longe aliter cecidit. Senatus enim Svecicus debere hoc se gloriae suae, debere saluti publicae, debere etiam magni regis memoriae arbitratus, ut quae ille animo dubium majori, an successu coeperat, ea impigre exsequeretur, continuare bellum in Germania statuit. Summa igitur reipublicae, dum Christina, 6 annorum filia Gustavi, adolesceret, quinquevirali Collegio domi commissa: moderandis in Germania rebus praepositus est Comes Axelius Oxenstierna, regni Cancellarius, quem, ob eximiam virtutis et fidei opinionem, Gustavus militiae comitem, rerumque maximarum ministrum in Germaniam secum adduxerat. Hic, cum Saxonem morte Gustavi denuo nutantem, Foederatorum reliquos sollicitari ad defectionem ab Imperatore videret, conventu Protestantium Franconiae, Sveviae, et Rheni utriusque Ordinum Heilbronnam indicto, foedus cum his renovat (1633 Apr.), quo supremum ipse rerum ac belli regimen, consentientibus cunctis, adeptus, ut sollicitudine ista, nec vana forsitan, levaret animos, quasi sua tantum causa Sveci bellum gerant, sibi imperium quaerant, filiis infortunati Electoris Palatini, (vindici suo Gustavo non diu superstitis) terras patri per

Imperatorem nuper ademptas, nunc vero armis Svecorum obsessas, restituit. Eo facto admirabile quantum studia hominum conversa. Interim copiarum Svecicarum ductores Bernhardus, Hornus, et Bannerus, in castris Gustavi militiam omnes edocti, et tanto non indigni magistro, universam fere victoriis pervagati Germaniam; Imperatorii ad tutandos fines proprios compulsi. Id Wallensteinio crimini vulgo dabatur, tanta virtutis et ingenii opinione, ut nihil non efficere posse crederetur. Itaque aut negligenter aut malitiose fecisse eum arguebant. Jussus ob eam rem deponere imperium, et alteri concedere, non parendo, auxit suspicionem, et crimen, non defendendo, visus confirmare, regnum eum sibi in Bohemia, ope Svecorum et Gallorum, parare; id enim jactabant adversarii. Quo etsi non comprobato crimine, tamen Imperator, infinitam viri ambitionem et audaciam non ignorans, perdere eundem, quam esse in metu diutius, fortunasqne suas periclitare, maluit. Id palam non ausus, cum militem Wallensteinio addictissimum, et novissime jurejurando etiam, ad fidem duci suo servandam, adstrictum intelligeret, conductis clam hominibus dat negotium, ut illum interficiant. Hi, intimi omnes ac familiares Wallensteinio, dolo eum aggressi, Egrae celebri urbe Bohemiae, ferro incautum noctu in cu-

biculo suo trucidant 25 Febr. a. 1634, aetatis 51. (Pleraque ad eam rem pertinentia in Tabulariis adhucdum haerent; quaedam ex tenebris recens in lucem protracta vid. in Chr. Gottl. v. Murr: Die Ermordung Albrechts Herzogs v. Friedland. Halle 1806.) Hic fuit exitus viri, in quo virtutes cum vitiis, bona corporis cum dotibus certabant ingenii. Annus idem clade Svecorum nobilis. Oxenstierna alias laudandus, peccavit in hoc, quod multis simul locis bellum geri, viresque adeo Svecorum dividi nimium passus est. Contra ea Ferdinandus Imperatoris filius, qui, post Wallensteinium exercitui praefectus, collectis omnibus copiis, adjunctisque sibi Hispanorum auxiliis, in Palatinatum tota mole belli incubuit; inde impetu in Sveviam translato, et ad oppugnandam Nordlingam conversus, ibi Bernhardum, frustra dehortante, pugnamque disvadente collega Horno, temere congressum, sic confecit (Sept. 1634.), ut unica illa victoria et de fortunis Svecorum penitus actum, et potentia Austriae denuo communita ac confirmata sit. Anno insequenti pax inter Saxonem et Imperatorem solenniter reconciliata Pragae (Maii 1635.) ea lege, ut Lusatiam retineret Elector; bona Ecclesiastica per Protestantes ad a. usque 1627 *secularisata*, in potestate eorundem annos 40 manerent, Edictumque adeo Restitutionis pro tempore

saltim effectu careret. Secuta foederis Heilbronnensis dissolutio, et sociorum defectio, solo in fide et amititia Svecorum permanente Hasso: qui graves deinceps, ac indignas constantiae suae poenas luere jussus partim ab Imperatore, partim a Saxone, qui proditos Pace Pragensi socios ac defensores suos Svecos, non multo post, junctis cum hoste armis, persequi haud erubuit. Inter haec exercitus Svecicus ad Pomeraniam usque repulsus, vix ibi consistendi locum habuit. Accessit novus a Polono metus, vergentibus ad finem sexennibus induciis.

In his rerum angustiis, ipse in Hollandiam et Galliam profectus Oxenstierna, opem, quam a suis exspectare non potuit, apud exteros quaesivit. Neque conatum generosum successus destituit. Protinus, agente Richelio, productae cum Polono induciae, renovatum inter Galliam et Sveciam foedus, et novum aliud separatim cum Bernhardo ictum (1635. Oct.), facta sponsione, Bernhardum bellum Austriae cum 12 militum millibus illaturum, Gallos pecuniam ei ad colligendum alendumque exercitum daturos. Sed et ipsa palam bello immixta Gallia, occasionem suppeditantibus Hispanis, qui Electorem Trevirensem, quod, neutrarum partium, Gallicum nihilominus praesidium, ad arcendas ne fors hostium incursiones, urbe sua recepisset, ca-

ptum, Bruxellas secum abduxerunt, terras occuparunt, Gallos praesidiarios interfecerunt. Eam interserens causam Richelius, bellum Hispano indixit, exercitumque ad Rhenum misit. Egregia haec Svecis restituendarum rerum remedia virtus adjuvit propria. Ita quamvis aegre, superior iterum facta res Svecica; et post celeberrimam Wittstockensem victoriam, quam Bannerus, vir rarum ut fortitudinis sic moderationis ac continentiae militaris exemplum, 24 Sept. 1636 de Imperatoriis et Saxonibus reportavit, omnis fere Germania Septentrionalis recepta; Saxonia totos novem annos, infinitis belli incommodis defuncta, tristes sed meritas perfidiae sustinuit poenas. Caesi eodem tempore Imperatorii a Hasso in Westphalia. Nec segnius rem gerebant Galli in Alsatia et Burgundia. Anno insequenti clarae mortes, Ferdinandi II i Imperatoris, Wilhelmi Hassiae Landgravii, et Bogislai Pomeraniae Ducum ultimi, qui obitu suo gravem de hereditate sua litem ac contentionem Svecis et Electori Brandeburgico reliquit. Annus idem, ut hoc quoque per transennam attingamus, abstulit Ximenem illum Hungariae, Cleri Hungarici Reformatorem, Universitatis olim Tyrnaviensis (1635) jam Pesthiensis, et hodiedum superstitis Seminarii Hung. Viennensis, vulgo Pazmanei conditorem, Petrum Pázmán, Cardina-

lem et Archiepiscopum Strigoniensem, ex Reformato factum Catholicum, consilii auctoritate, ingenii et eloquentiae laude clarissimum virum, cujus in religione Cath. modis omnibus propaganda fervori pars magna belli non in Hungaria tantum, sed in ipsa etiam Germania cum Protestantibus ab Imperatore suscepti adscribenda videtur. Memorabilis etiam annus clade Svecorum, in quos potissimum vires suas, et studium omne belli novus Imperator Ferdinandus III-us convertit. Victi igitur et in extrema Pomeraniae repulsi. Bernhardus quoque occupata in Burgundiâ et Lotharingiâ loca relinquere, seque trans Rhenum coactus est recipere. Sed brevi in melius mutatae res. Bannerus, novis copiis auctus, a. 1638 hostem a Rugia insula rejectum non Pomeraniâ modo deturbat, sed per Saxoniam Marchiamque, in Bohemiam usque, fugientem persequitur. Bernhardus autem Imperatoriis et Bavaro ad Rheinfeldam (21 Febr. 1638.) de improviso caesis, Rheinfeldâ, Friburgo, et, post laboriosam obsidionem, tresque exercitus hostiles, qui obsessae urbi supervenerant, non sine magna clade repulsos, etiam Brisaco (Dec.) potitur. At hunc, regnum in Alsatia sibi parantem, anno altero (Jul. 1639) venenum, si credimus famae, a Richelio propinatum abstulit. Indignatum enim ferunt Gallum, belli suis im-

pensis gesti fructus alienare Bernhardum, et intervertere in animum induxisse. Morte Bernhardi, exercitus ejus, frustra reclamante Sveco, in verba regis Galliarum adactus, eique Guebrianus Comes praepositus, Brisacum et reliqua Gallicae itidem ditionis facta. Interim Bannerus fortunam urgens, penetrata armis Bohemia, Pragam tentat; repulsus, et decedere Bohemia per Hatzfeldium (1640) coactus, in Bavariam cum Guebriano irruit, Imperatorem Ratisbonae, cum congregatis ad Comitia Ordinibus pene intercipit. Volentem ulterius progredi, bellumque in Austriam transferre, sequi recusans Guebrianus, et ad Moenum mox reversus, non ab incepto solum revocat, sed in angustias etiam non leves iterum conjicit: ex quibus tamen utcunque virtute sua expeditus, brevi post, Halberstadii, (Mai. 1641) repente, non sine veneni suspicione, moritur.

CAPUT XLV.

Principum in reconcilianda pace studia. Conventus Hamburgensis. Armorum Svecicorum sub Torstensohnio, et Wrangelio, Gallicorum sub Turennio et Condeo successus. Pax Westphalica.

Ferdinandus adhuc II-us, renascentem victoriâ Wittstockensi Svecorum fortunam intuens, periculum paciscendi cum hoste fecerat, Conventu Coloniam, intercessione Pontificis Urba-

ni 8-i, indicto: sed, cum neutra pars modum postulatis statueret, ne se victam cedendo videretur fateri, irritum illud consilium, bellatumque ulterius fuit. Ferdinandus III majori aliquanto studio condendae paci manum admovit, partim quod indole sua alienior a contentione, partim quod adjuncta rerum ea essent, ut imponi finem certamini svaderent. Nam praeter bellum plus quam dubio Marte gestum, civilibus agitata discordiis Hispania, arma pro libertate Catalaunis et Portugallis (1540) capientibus. Fessi bello, et exhausti opibus auxiliares reliqui. Mortuus Georgius Wilhelmus Elector Brandenbugicus, (1619—1640) debilis ille quidem ac mutabilis ingenii, plerumque tamen ad partes Imperatoris propendens. Secutus eum filius Fridericus Wilhelmus (1640—1688) ob rerum, quas gessit, virtutisque praestantiam, Magnus vulgo Elector appellatus, vir quantum dignitatis suae studiosus tuendae, tantum augendis opibus intentus, et ob eam rem inimicus Austriae. His rebus, Imperator Comitiis, qualia nunquam ab a. 1623, Ratisbonae celebratis, (1640) et ibi praeteritorum oblivione, inter multas difficultates, sancitâ, colloquium Hamburgae a. 1641 cum potentiorum Statuum belligerantium legatis de revehenda pace instituit. Non tamen idcirco ab armis cessatum, singulis paciscentium partium, futurorum bel-

lo successuum, obtinendarumque inde aequiorum conditionum spe semet lactantibus. Lucri illud potius, quam sincerum pacis faciendae studium fuit. Quare, postquam pauca, quibus paci velut praeludebatur, (*praeliminaria* vulgari sermone audiunt) de loco, tempore, et modo habendorum super pace conventuum, constituta fuissent, irrita re etiam Hamburga discessum. Cum initio anni insequentis (1642) Torstensohnius, maximus ducum, quos e ludo Gustavi prodeuntes admiratur posteritas, exercitui, post mortem Banneri, praefectus, restitutâ, quae interitu antecessoris fere conciderat, disciplinâ militari, in haereditarias Austriae terras, bello hucdum intactas, Silesiam et Moraviam, summotis hostibus, irrumpit. Inde, fama adventantis validissimi exercitus Imperatorii, in Saxoniam regressus, et ad oppugnandam Lipsiam conversus, ibi facit sui copiam, et in illo ipso loco, ubi 11 ante annis Gustavus fortunas Austriae, spesque afflixerat omnes, haud incruentam quidem, nobilissimam tamen de ducibus Imperatoriis, Leopoldo Archiduce, et Piccolominio reportat victoriam 23 Octob. 1642. Insecuto vere, parte copiarum sub Königsmarkio in Franconiam missa, ipse, repetitâ armis Silesiâ, Bohemiâ, et Moraviâ, Wiennam usque infesto agmine procursat. Interim Galli, primum adjutoribus Hassis in

agro Coloniensi victores, post, sejunctis ab Hasso copiis, et Guebriano ad Rothweilam in Svevia caeso, victi gravi proelio ab Imperatoriis et Bavaris ad Duttlingam 14 Nov. a. 1643, in Alsatiam et Sundgoviam pedem referunt. Ea victoria addit animum Austriae, remoraturque pacis opus inceptum. Supervenit bellum Sveco-Danicum (1643—1645), ex veteri Danorum cum Svecis simultate, instigatu Austriae, ortum. Quod videns impendere Torstensohnius, necdum enim declaratum erat, ut graviori occurrat certamini, relicto in Germania Königsmarkio, inopinis omnibus in Danum subito impetu vertitur (Nov. 1643.), imparatum opprimit, fide citius ei Holsatia et Jutia ereptis. Inde celeri passu revolans, ducem Imperatoris Gallasium, reditu in Germaniam intercludere, laborantique Dano supervenire conantem, occupat incautum, et bis victum (1644) pene internecione cum exercitu delet. Dani praeter infelix proelium terrestre, navali etiam pugna victi, pacem territi petunt: quae, interventu Gallorum et Belgarum, Bromsebroae, nimium Danico nomini damnosa convenit 13. Aug. a. 1645. At Torstensohnius, qua viam sibi, fusis hostibus, fecerat, in Bohemiam denuo irruens, Imperatorios, ducibus Götzio et Hatzfeldio, atrocissima omnium pugna ad Jankowitzium (24 Febr. 1645) conficit, ducum

altero Götzio, cum 9 suorum millibus in acie caeso, altero Hatzfeldio, et multitudine pene infinita in hostium potestatem redactis. Qua pugna pugnata, Ferdinandus III Praga Graetzium in Stiriam fuga delatus; Saxo ad petendas inducias adactus (27 Aug. 1645); Viennae terror bifariam illatus, hinc Torstensohnio, illinc foederato Transilvaniae principe Georgio Rákotzi, infesto exercitu, imminentibus. Sed brevi Rákótzius, neglecto, quod cum Svecis pepigerat, foedere, gloriosa sibi pace Lintzensi (16 Dec. 1645) Ferdinando reconciliatus arma ponit; Torstensohnius ingravescente podagrae morbo discedere ab exercitu, imperiumque Wrangelio et Königsmarkio tradere cogitur. Neque tamen eo rem amissam restituit Austria, non segnius Sveco bellum gerentibus Gallis, sub auspiciis magni illius Condei (Ducis tum Enguiennensis) et Turennii: quorum uter utri praestiterit, non magis quaeri atque ambigi a peritis harum rerum arbitris solet, quam illud inter universos constat, fuisse ambos omnium suae aetatis ducum praestantissimos, praecedentium et insequentium cuivis pares. (Legi merentur, quae incomparabilis Orator Bossvet: Orais. Funèbre de Louis de Bourbon, par nobilissimum ducum conferens, dicit). Primum junctis uterque copiis castra Bavarorum arte et natura communita prope Friburgum ad-

orti (Jul. a. 1644), peritissimum belli senem Mercium duo adolescentes duces, (Condeus annorum 23, Turennius 32) repetito saepius impetu, cedere loco multa vi cogunt; deinde ab hoc successu, partem magnam Alsatiae et Palatinatus Inferioris occupant. Anno insequenti victus in Franconia ad Mergentheimium, seu Mariendaliam Turennius (Mart. 1645), non multo post, copiis, deminutae enim erant, integratis, et Condeo, qui paulisper digressus erat, ad exercitum reverso, eluit ignominiam, acceptamque ulciscitur cladem, splendidissima ad Allersheimium prope Nordlingam (16-a Julii 1645) victoria: ubi Gelenius dux Imperatorius captus; Mercius, post edita clarissima virtutis suae documenta, in conflictu caesus. Proximus (1646) fatalis Bavaro annus. Quem solum adhuc, inter tot adversa, in fide et amicitia Imperatoris constantem, Turennius, Svecusque Wrangelius communibus armis aggressi, tota regione direpta, inducias, desperatis rebus, petere cogunt (Mart. 1647). Quas cum brevi tempore, Gallis in Belgium, Svecis in Bohemiam profectis, metu Imperatoris rupisset Elector, redeunt utrique, et, post caesas hostium ad Augustam Vind. legiones, Bavariam infestis denuo armis, violatae fidei ultores, ingressi (1648) nihil intactum bello relinquunt. Inde Austriam per Oenum (Inn) invasuri, pluvi-

arum intemperie, et commeatus inopia prohibiti, ab incepto desistunt, gradumque in Sveviam referunt. Dum ea geruntur, vario interea Marte in Westphalia ab Hassis et Imperatoriis pugnatum; at in Bohemia, subito incursu capta a Königsmarkio, et direpta (Jul. 1648) urbis Pragensis pars ea, quae parvae urbis nomine (die Kleinseite v. Prag.) venit. Jamque ad reliquas urbis partes totis viribus oppugnandas accesserant Sveci sub Königsmarkio, et Carolo Gustavo Comite Palatino (Sveciae deinceps rege), cum allatum in castra diu desideratae pacis nuntium finem certamini, ac modum bello statuit, quod libertatem Germaniae peperit, sed eandem viris, opibusque exhausit, simul, avaritia et luxuria invectis, mores corrupit.

Pacis opus, ut dictum supra, Hamburgae primum a. 1641 inchoatum, sed cupiditate partium interruptum, dein clade Gallorum Duttlingensi, et belli Sveco-Danici interventu impeditum, tandem post victoriam Svecorum Jancowitzensem, Osnabrugae et Monasterii (urbibus Westphaliae) serio repetitum (Apr. 1645), ibidem, inter multas et gravissimas altercationes, triennio post perfectum 24 Octobr. 1648. Paci nomen Westphalicae tribui, et ex ambabus Pacificationibus, Osnabrugensi quippe (inter Imperatorem, Svecos et Protestantes Germaniae Ordines) et Mo-

nosteriensi (inter Imperatorem, Gallos, et reliquos bello inter se implicitos Status exteros) fieri unam, ipsi paciscentes voluerunt. Multi, magnique in ea condenda desudarunt viri, quorum nominatim etiam hic citari merentur: Comes Trautmannsdorf Imperatorius, Comes d'Avaux Gallus, Oxenstierna magni illius Cancellarii filius, Svecus, Chigius (serius Pontifex Alexander VII) Pontificis (cujus, et Venetorum interventu pax conciliata) legatus. Nihil ista pace recentiori aevo nobilius, nihil in ordinandis, non solum Germaniae, sed reliquae etiam Europae rebus, constituendaque, et in posterum dirigenda principum arte politica, memorabilius. Ratio suscepti operis persequi singula prohibet, brevitatis caussa notasse heic sufficiat sequentia. Pace Westphalica:

1. Circumscripta Imperatoris, stabilita contra Ordinum Germaniae acutoritas, *territoriali* his, seu suprema super terras a se possessas potestate (Landeshoheit, la Souverainetè), et jure foederum tam inter se, quam cum exteris, modo non contra Imperium et Imperatorem, ineundorum dato; Imperatore autem, nisi publica Ordinum auctoritate, leges ferre, vim et imperium adhibere, aut quemquam, quod hucdum, proscribere prorsus vetito.

2.

2. Parta religioni Evangelicae per Germaniam libertas, foedere Augustano (1555) non confirmato solum, sed ad Reformatos etiam proprie ita dictos disertis verbis extenso. De bonis *secularisatis* et religionis exercitio ita conventum, ut in statum, qui fuit cum 1-a Jan. a. 1624-i (pro norma velut assumti, *normalis*que hinc dicti) cuncta reponerentur — (exceptis tamen Palatinatu, Badena, et Würtemberga, ubi non a. 1624 sed 1619-us pro norma ac regula praescriptus) Unde sequi necesse fuit *a*, ut Imperator exstirpatam ante annum *normalem* 1624 in haereditariis ditionibus suis Reformationem restituere non teneretur. *b*, ut virtute Reservati Ecclesiastici, quod denuo sancitum, quemadmodum Principibus Ecclesiasticis Catholicis Catholicam, ita nec Protestantibus Evangelicam religionem deserere integrum esset, nisi dignitate sua, bonisque excidere vellent. *c*, ut si qui secularium Principum religionem dehinc mutassent, aut regionem quampiam alienae religioni addictam suae ditionis fecissent, nullam receptae subditorum religioni injuriam inferrent. Quod futuris temporibus, cum tot Evangelici Principes religionem Catholicam amplexi sunt, non modo non obfuit rei Evangelicae, sed etiam profuit.

3. Praestita damna tam Statuum exterorum belligerantium, quam Germaniae Ordi-

num, idque ope potissimum secularisationis, necquidquam adversum nitente ac reclamante Pontifice.

a, Quod ad exteros: *Gallo* concessa, et in perpetuum ab Imperio Germanico sejuncta Alsatiae pars major, Austriae ante propria, cum jure collocandi Philippiburgum praesidii. Confirmata praeterea Regis Galliarum suprema jura in tres Lotharingiae Episcopatus, Metensem, Tullensem et Verodunensem, superiori adhuc seculo quaesitos, sed nondum solenniter a communione Germaniae avulsos. *Sveco* tributa citerior omnis Pomerania, et pars magna Superioris, Brema item, Verda (Verden) et Vismaria, cum 5 millionibus imperialium; locus eidem inter Ordines Imperii, cum juribus omnibus, dignitati huic propriis (Reichsstandschaft) assignatus.

b, Quod ad Ordines Germaniae: *Electori Brandenburgico* in vicem Pomeraniae, quam jure haereditatis Brandenburgo debitam, praeripuit Svecus, collati Episcopatus secularisati Halberstadiensis et Caminensis, Abbatia Mindensis, et Archiepiscopatus (jam Ducatus) Magdeburgicus. *Ducibus Mecklenburgicis* in compensationem Vismariae, Sveco itidem concessae, dati Episcopatus Schwerinensis et Ratzeburgicus. *Hassus* nullum detrimentum passus, fidei et constantiae

praemium tulit Abbatiam Hirschfeldensem, et partem comitatus Schauenburgici cum 600 Thal. millibus. *Domui Brunsvicensi*, quod spem succedendi in nonnullis Ecclesiae beneficiis dimisisset, claustra quaedam, et in Episcopatu Osnabrugensi alternans per vices cum Catholico Episcopo successio assignata. *Saxo* sibi habere jussus, quae Pace Pragensi obtinuerat. Ceterum oblivio praeteritorum et restitutio bonorum omnium flagrante bello amissorum sancita, eo tantum excepto, quod *Palatino*, infelicis Friderici filio, redditus Inferior Palatinatus, superior autem cum Electorali dignitate Bavaro relictus: sed pro Domo Palatina novus Electoratus (ordine 8.us) constitutus, cautumque simul, ut, si Domum Bavaricam praemori contingeret, (quod factum revera a. 1777) domus Palatina et Palatinatum Superiorem, et pristinum inter Electores locum (5.um scilicet) reciperet, cessante tum Electoratu octavo.

4. Helvetii et Belgae, pars olim Imperii Germanici in perpetuum ab eo, Belgae etiam ab Hispania, separati, et, quod pridem facto erant, liberi, nullique alieno imperio obnoxii, solenni omnium confessione, utrique agniti.

Pace Westphalica: certior imperio Germanico conciliata forma; systema quod dicunt Aequilibrii constabilitum; Europa Se-

ptentrionalis cum Meridionali, inito inter Sveciam et Galliam foedere, arctius conjuncta; periculum, quod communi libertati ab Austria impendebat, depulsum, sed ejus loco, gravius aliud jam tum parari coeptum, nimium damno Austriae adauctis Galliae opibus. Nam quod unice optandum, quodque potentissimum pacis et salutis publicae futurum erat praesidium, ut ad ripas Rheni Status quidam novus, coercendae, si res tulerit, Galliae et Austriae ambitioni par formaretur, facere viri sapientissimi, Pacis Westphalicae arbitri, neglexerunt. Ceterum Occidens non omnis pacatus; quippe finito Germanico, et Hispano-Belgico, restabat adhuc bellum Gallo-Hispanicum, et Hispano-Portugallicum.

Vide, si vis plura, Woltmann Gesch. des Westphaelischen Friedens Leipzig 1808. incipit, ubi magnus Schillerus desinit.

CAPUT XLVI.

Gallia, moderatore rerum Richelio, domi pacata ac communita, foris aucta. Richelii, et Mazarinii ingenium, in gubernanda republica rationes.

Richelius (Joh. Armandus du Plessius) natus (1585) amplissimo genere, educatus summa cura, magna apud Marechallum D'Ancreum, et Mariam reginam, nec minore deinceps apud Luinium gratia, per omnes honorum gradus, Cardinalitiam mature dignitatem, et

a. 1624 primi, quod dicunt, Ministri locum, supremumque reipublicae moderamen consecutus, ita huic 18 annis praefuit, ut Ludovicum regem non imperium interea, sed nomen tantum regni pateretur habere. Dupplex acerrimi juxta ac maximi ingenii viro propositum, quod toto muneris sui tempore constantissime semper, nec sine successu persecutus, nempe ut regium imperium communiret domi, foris auctoritatem Galliae ac potentiam pararet. Quorum alterum frangendis maxime Hugonottarum, et regni procerum periculosis reipublicae opibus, alterum institutâ jam a Henrico Magno ratione viribus Austriae deminuendis ac debilitandis efficere studuit. Hoc cum esset consilio, primum, per occasionem belli ab Hugonottis, ob circumcisam religionis libertatem, renovati, arcem eorum munitissimam, et quandam velut imperii sedem, Rupellam a. 1627 aggreditur, actisque per Oceanum molibus, sic terra marique toto anno obsessam tenet, ut fame demum enecti cives, et extrema omnia perpessi, deditionem a. 1628. 30 Oct. facere debuerint. Casum urbis potentissimae secuta communis Hugonottarum ruina, et mense Junio anni insequentis 1629 pax publica, eâ lege sancita, ut loca munita, securitatis olim caussa Reformatis data, moenibus omnia nudarentur, ceterum religio, ex Edicto Nanne-

tensi salva, ac illibata relinqueretur. Inde, sanato, quod quasi in visceribus regni haeserat, vulnere, ad ea, quae foris sibi curanda proposuerat, conversus, Carolum Ducem Niverniae, gente Gallum, regisque Galliarum clientem, tutandum suscipit contra Hispanos, Mantuanum ei Ducatum, haereditate proxime (1627) acceptum, eripere, et ad Sabaudum transferre conantes. Bellum acerrima utrinque contentione gestum, et Casalis, munitissimae in Ducatu Montferratensi urbis, strenua ac virili per Gallos propugnatione imprimis nobilitatum, a. 1631, intercurrente Mazarinio (per legatum Pontificis Barberinium ad eam rem delecto), Clarasci (Chierasco in Pedemontio) ita compositum, ut Duci Nivernio Mantuae et Montisferrati confirmata possessio, Gallis Casale a Nivernio, Pignerolium a Sabaudo concessum, atque inde ductum una initium sit opum Galliae in Italia, detrimento Austriae, augendarum. Paulo ante Grisonibus quoque (Graubünden) contra Vallis-Telinae (Veltlin) incolas, Hispanorum auxilio defectionem parantes, adfuit Richelius, universamque eam terram, ne in Hispanorum veniret potestatem, Grisonibus restituit a. 1626. Interim regina mater Maria Medicea, et frater regis Gasto, Dux Aurelianensis, nimiam in aula potentiam Richelii aegre ferentes, in periculum ejus

cum multis e primaria nobilitate viris conjurant. Quod proximum licet exitio, quamvis aegre, discussit tamen semper praesens, semper constans Richelii animus. Regina, praevalente Cardinali, in custodiam Compendii (Compiègne) a. 1631 data, inde in Flandriam elapsa, post multos errores, in summa rerum omnium indigentia, Coloniae Agrippinae mortua a. 1642. Gasto, ut, quod struxerat alteri, periculum effugeret, vertere solum coactus. Viri primarii, conjurationis et turbarum socii, in his Dux Montmorencyus, generis antiquitate, animi virtutibus, meritis majorum, suisque celebratissimus, morte mulctati a. 1632. Quorum infortunio, compressa in futurum procerum audacia, et, quod volebat Richelius, publica potestas, regiumque constabilitum imperium. Quare hoc etiam audentius dehinc, alterum illud debilitandae Austriae propositum suum persecutus, non jam in Italia, neque Hispanice, sed in Germania, stirpi Imperatoriae potentiori creare periculum statuit. Inde irritati clam in Imperatorem Germani, exterique; inde nominatim evocatus in Germaniam Gustavus Adolphus; inde post cladem Svecorum Nordlingensem (1634) bellum Imperatori, et arrepta occasione, etiam Hispano, aperte illatum; inde data Bernhardo Vinariensi contra Imperatorem, Belgis Foederatis contra Hispanum

auxilia. De bello in Germania dictum superius; cum Hispanis vario simul Marte in Italia, Belgio, inque ipsa Hispania, Catalonia nominatim, quae, detrectans imperium, Gallis se a. 1641 subjecerat, pugnatum, capta nihilominus, et Gallorum ditionis facta Atrebatum, (Arras in Artesia) et Perpiniacum (Perpignan, in comitatu Ruscinonensi Cataloniae confini) a 1642. Bello, quod fregit opes Austriae, non supervixit Richelius, fato functus 4 Dec. 1642. Paucis ante mortem, renovata procerum adversus eum molimina. Anno 1641 Comes Suessionensis (Soissons) cognatus regis, dominatum Richelii perosus, arma opisulante Austria sumsit, sed victor caesus in proelio, quod cum regiis inierat, irritum morte sua conatum reddidit. Anno insequenti Cinq-Marsius, et ipse ardentis animi juvenis, et Duce Aurelianensi inquietum animum stimulante, cum se in gratiam regis insinuasset, ipso non inscio, ut creditur, rege, tollere Richelium, per quem creverat, instituit. Quem tamen Richelius, initi clam cum Hispano contra rempublicam foederis convictum, perculit, et merito supplicio ipsum, sociosque affecit 12-a Sept. 1642.

Ad gloriam reipublicae foris auctae, domi pacatae ac communitae, aliud etiam decus, literarum et artium liberalium amorem ac patrocinium Richelius adjunxit. Nam cum ex-

colendis ingeniis publicam felicitatem maxime contineri, atque illud ipsum, ad nominis quoque sui gloriam, cujus appetentissimus erat, longe accommodatissimum censeret, nullis sumptibus pepercit, quo artium ac literarum studia, culturae omnis adjumenta, excitaret, viros earum peritos ad non vulgare aliquid audendum impelleret. Quare ille imprimis aureae bonarum artium sub Ludovico XIV. insecutae aetati prolusisse, nostra sententia judicandus est. Curarum pars praecipua fuit lingvae vernaculae studium, ad eam excolendam instituta a. 1635 Academia Francica (Academie Françoise), salutari primum consilio, extremum tamen, compedibus quasi quibusdam lingvae per eam injectis, minus, quam sperabatur, laeto eventu. Vide de his: Hist. du Cardinal Richelieu par le sieur Aubery. Cologne 1660. 2 vol.

Richelio non diu supervixit Ludovicus rex, defunctus a. 1643 14 Maji. Morte ejus, filio Ludovico XIV, 5 annorum puero, nondum ad regnum idoneo, nomen imperii penes viduam reginam Annam Hispanicam (vulgo Anne d'Autriche), potestas et rerum gerendarum summa penes Julium Mazarinium Cardinalem fuit. Hunc, gente Italum, opera primum in conciliando Clarascensi foedere locata sibi cognitum, et in magnis saepe rebus deinceps adhibitum tanti fecerat Richeli-

us, ut moriens ejus potissimum consiliis utendum svaderet regi. Ad clavum igitur reipublicae a Ludovico XIII admotus, et per eundem reginae etiam, cui cura regni post mortem regis demandata, inter primos commendatus, ita sub ipsa muliebris regni initia animum reginae cepit, eas sibi opes auctoritatemque collegit, ut unius arbitratu, inter graves licet turbas, totos 18 annos cuncta administrarentur. Idem illi, quod Richelio, cujus vestigiis institit, propositum, natura tamen longe dissimilis. Nam summa in Richelio arrogantia, summa in Mazarinio facilitas; nihil illo fortius, ac constantius, nihil hoc callidius, ac patientius; in illo plus naturae, in hoc plus curae, et artificii; ille imperii tantum, hic etiam pecuniae avidissimus; ille metu ac vi palam, hic grassari clam dolo consveverat; neuter ulli amatus, sed ille invisus magis, hic magis omnibus contemptus.

Laeta regiminis Mazarinii initia, maxime ob victoriam Condei de Hispanis ad Rocroyum (in Campania) sexto, quam rex decesserat, die reportatam. Secuta Thionwillae, Gravelingae, serius etiam Courtraci, et Dunquercae, (1646) Belgicarum urbium expugnatio. In Germania nihilo segnius re per Turennium et Condeum, foederatosque Svecos, adversus Imperatorem administratâ, pax nomini Gallico utilissima, Mazarinio, qui eam concilia-

vit, gloriosa, cum Imperatore Monasterii Westphalorum a. 1648 (vid. Cap. XLV) convenit, quae fregit opes Austriae, protulit imperium, auxitque potentiam Galliae. In Hispania alternabat fortuna, Condeo, post domitam magna parte Cataloniam, quae se Gallorum fidei ultro commiserat, ab oppugnatione Ilerdae (Lerida) magna clade (1647) rejecto. Quam tamen cladem brevi postea Condeus idem graviter in Belgio ultus est, Hispanis ad oppidum Artesiae Lentium occidione prope occisis 20 Aug. 1647. Bellum istud (Gallo-Hispanicum) Pace Westphalicâ non finitum, et ad a. usque 1659 intestinis utrinque seditionibus productum, quatenus terminos aevi hujus excedit, inferius cum reliquis Mazarinii et Hispanorum rebus exponetur.

CAPUT XLVII.

Hispania domi bellique, sub Philippo IV, labefactata; Olivaresii virtutes et vitia, consiliorum, quae ceperat, eventus. Pax Monasterii cum Belgis Foederatis inita.

Philippus IV, patre, quem a. 1621 secutus, non multo melior, procul negotiis publicis, immersus voluptatibus, curam regni Comiti Olivaresio (Duci de Sanlucar, seu S. Luciferi) commisit. Origo huic ex antiquissima Guzmanorum familia, capax ingenium, voluntas optima, sed praeceps ac ambitiosus animus.

Richelius Hispanorum vulgo dici solitus, non quod similis Richelio, cui quantum humanitate antistabat, tantum in judicando solertiâ, in exsequendo constantiâ cedebat, sed quoniam aequalis ejusdem, ac aemulus, parique apud Hispanos, ac ille apud Gallos, potestate fuisset. In eo vel maxime peccavit, quod Hispaniam, accisis licet viribus, primas in Europa sustinere dum vult partes, alienis illam certaminibus, suarum rerum satagentem immiscuit. Quo facto collapsa foris reipublicae fortuna, domi impatiens onerum populus ad novandas res adactus.

Inter ipsa imperii rudimenta, exactis (1621) induciis, bellum vetus recruduit cum Hollandis, et, quasi parum illud esset, novum aliud in Germania pro Imperatore contra Palatinum et reliquos Protestantes susceptum. Initio satis utrumque ex sententia gestum ductu Ambrosii Spinola, serius, non sufficientibus bifariam copiis, multiplicatoque hostium, crescentem Austriae potentiam moleste ferentium, numero, inclinari utrobique res coeptae. Christianus Brunsvicensis et Mansfeldius, acceptam in Germania ab Hispanis cladem in Belgio ulturi, Foederatis Belgis auxiliatum profecti, proelioque cum Hispanis ad Floriacum (Fleuri Comit. Namurci) commisso, Spinolam recedere a Bergarum (Bergen op Zoom Brabantiae) obsidione cogunt a. 1622. Cum supe-

rior nihilominus Spinola, rem Hollandicam, expugnatâ a. 1625 Bredâ, simul et morte Mauritii afflictam, in non leve discrimen adduxisset, evocatus in Italiam (1627) ad bellum de Ducatu Mantuano cum Gallis recens occeptum, hic nullum fortitudine sua emolumentum, ibi magnum discessu suo detrimentum Hispaniae creavit, spatio interim Belgis colligendi sui, rerumque ope Galliae instaurandarum relicto. Henricus Arausionensis, fratre Mauritio, cui successit, non inferior virtute, conciliandorum sibi, moderandorumque animorum arte etiam superior, aliis super alias urbibus expugnatis, (obsidione enim et oppugnatione urbium, maximam partem totum illud bellum constabat) ad haec classe Hispanica, quae argentum ex America vehebat (Sillberflotte) virtute Petri Heynii a. 1628 intercepta, rebusque paulatim tam in Brasilia, quam in India Occidentali stabilitis, novas continuo, ac in dies Hispano magis perniciosas opes comparavit. Brevi in Germania quoque retardatus foederatorum Imperatoris et Hispaniae armorum successus, Gustavi (1631) et Svecorum virtute, quos Richelius, subruendae dominationis Austriacae studio, ad bellum volentes impulit, opibusque suis juvit. Redire quidem victis fortuna coeperat post victoriam Nordlingensem, quam a. 1634 communibus Imperatorii Hispanique

viribus de Sveco reportarunt, sed cito iterum aversa, prodeuntibus in aciem Gallis, et aperto utrosque bello, Imperatorem quidem in Germania, Hispanos in Belgio, Italia (1635) et mox in ipsa etiam Hispania impetentibus. Ab eo infelicius etiam cum Belgis certatum, mari maxime, classe Hispanorum ingenti a. 1639 a Martino Trompio penitus deleta in Oceano Britannico. Secuta munitissimarum Belgii-Hispanici per Gallos, Hollandorum foederatos, expugnatio.

Tot simul bella neque geri cum successu, neque sustentari sine magno onere populi poterant. Accessere novata domi instituta, ut neogamis, sex aut plurium masculorum prolium parentibus, exteris item artificibus et opificibus data tributorum immunitas, et plura alia, salutaria illa quidem per se, sed partim tempori parum accommodata, partim ob ipsam novitatem invisa Hispanis. Inde consecuta a. 1640 Catalaunorum et Portugallorum defectio, quorum illi, inplorata hostium Gallorum fide, duodecimo vix demum anno (1652), hi, excusso feliciter servitutis Hispanicae jugo, nunquam amplius reduci ad officium potuerunt. Tot ac tanta domi forisque mala cum imprudentiae ac ambitioni vulgo adscriberentur Olivaresii, loco hic motus a. 1643, et summa rerum Ludovico de Haro concredita, cui moderatius qui-

dem, ac avunculo Olivaresio, ingenium, sed nec scientia rerum tanta, nec tam capax imperii animus. Quare nihil ista mutatione profectum, et, cum pejori in dies loco res essent foris, domi turbarum omnia plena, rebus quippe etiam in Vandalitia (Andalusia) ad seditionem spectantibus, Neapolitanis autem, exemplo Catalaunorum et Portugallorum, arma palam (1647) capientibus: necessitas Hispano partem unam possessionum, reliquas ut servaret, dimittendi, foederisque Monasterii Westphalorum cum Hollandis a. 1648 ea lege ineundi expressa, ut hos gentem liberam, et sibi, domino olim totius Belgii, nullo amplius modo obnoxiam declararet, atque una eosdem terras omnes, non in Europa tantum, sed in India quoque Orientali et Occidentali, flagrante bello armis occupatas tenere pro suis, ac possidere in perpetuum sineret.

Foedere Westphalico demersa, ac praecipitata ex alto Hispania, vix jam diu alias se sustinens; ad summum contra dignitatis, ac potentiae culmen evecti Belgae. Nam quamvis grande pro iis temporibus aes alienum ad tanti necessitates belli contractum: at auctae privatorum opes, locupletatus populus, commercium, Hispaniae et Portugalliae crescens ruinis, latissime per universum orbem extensum, quaesitusque marium principatus, quem

tamen non multo post, artibus ac virtute Cromwelli, aemula praeripuit Anglia.

CAPUT XLVIII.

Austriae, et Regnorum Orientalium status, durante bello tricennuli Germanico.

Idem illud Bellum 30-nale, quod in Germania tantopere afflixit opes Austriae, potentiam ejus non mediocriter auxit in Bohemia, quae, ob rebellionem infeliciter tentatam, juribus ac privilegiis omnibus spoliata, haereditarium dehinc Austriae regnum, armis velut quaesito recens imperio, evasit. Id multum ad res Imperatoris in Hungaria quoque firmandas contulit, — — —

Hungaris pacem Nicolsburgi a. 1622 pactus. Vid. Budai Magyar Ország Hist. Tom II, §. 148—153. Verum brevi, conditionibus non omnino satisfactum ab Imperatore causatus, renovavit, idque iteratis vicibus, bellum, quod pace primum a. 1624, deinde a. 1627 instaurata compositum. Extremo bello 30-nali Georgius Rákótzi I-us, Betlenii viduam, Catharinam Brandeburgicam, a. 1630 in Principatu Transilvaniae secutus, Protestantium Hungarorum, ac Germanorum invitatu, exercitu a. 1644 rursus in Hungariam ducto, foedereque cum Svecis, Gallis et Turcis percusso, non segnius Betlenio rem gessit, jamque, occupata Superiori Hungaria, Moraviam invaserat, junctis inde copiis cum Torstensohnio, arma Austriae illaturus, quum mutato repente consilio, oblatam aequis legibus ab Imperatore pacem accipit Tyrnaviae 24 Aug. 1645, Lincii postmodum 16 Dec. confirmatam, Linzensemque inde dictam, qua religionis Evangelicae per Hungariam libertas denuo sancita ac solenniter confirmata est.

Imperatores Turcarum, qui Selimum II Solimanni II filium († 1574) secuti, in Gynaeceo educati, in eodem plerique tempus omne suum transegerunt. Inde senescere otio populus; praefecti provinciarum potentiores recusare obsequium; Imperatores nutu ac arbitratu circumagi Janitsarorum, qui, praetoria-

nis illis Romanorum Imperatorum militibus simillimi, imperium, quibus vellent, dabant, adimebantque. Neque tamen pristinus ardor in gente rudi ac barbara penitus refrixit, cujus latentes igniculos suscitavit hoc tempore Amurathes IV (1623—1640), magnum procerto Austriae, totique Germaniae periculum creaturus, si vicinam Europam armis infestare, quam Persicis bellis exercitum habere imperium maluisset. Frater Amurathis Ibrahimus (1640—1648) longum et atrox cum Venetis bellum, cui non supervixit, de Creta a. 1645 exorsus, nihil ultra molitus est. Filius ejus Muhammedes IV (1648—1687) Cretam insulam, duce Kiuperlio, post laboriosissimam fere trium annorum obsidionem, absumtaque Christianorum, ad ferendam opem, certatim undique accurrentium 30, Turcarum pene 120 millia, occupat a. 1669. Idem turbis quoque Transilvanicis, sub Georgio Rákótzio II, immixtus, gravem vicinis ad occidentem regionibus metum incussit, sed metus ille haud fuit diuturnus, Turcis, sub Muhammede adhuc, post acceptas clades gravissimas, Hungaria fere tota exterminatis. Vide Cap. LXII.

Aetas. III. 1648—1660.

Considerationes Generales.

Aetas intestinis rerum publicarum perturbationibus memorabilis. In Anglia ipsum regni nomen abolitum; apud Belgas mutata civitatis forma; Gallis et Hispanis discordiae domi, foris bellum, quod, belli tricennalis Germanici reliquias, pax demum Pyrenaea diremit. Portugalli, excusso inter haec servitutis Hispanicae jugo, pristinam sub propriis regibus libertatem repetunt, et quantum eo facto Hispaniae demunt, tantundem valescenti Galliae adjungunt virium.

CAPUT XLIX.

Caroli I-i, regis Angliae natura et indoles; turbarum in Anglia et Scotia caussae atque initium; Trium Parlamentorum repentina dissolutio; Parlamentum vulgo Magnum; Straffordii supplicium; Conspiratio Hibernica; Crimen perduellionis quinque Communibus a rege intentatum.

Carolus I-us patrem Jacobum a. 1625 secutus, vir cetera bonus, ac clarus domesticis virtutibus, caruit dotibus ad populum liberum, qualis Anglicus, regendum necessariis. Nam et supremam potestatem, nullis legibus constrictam, familiari Stuartorum vitio, affectabat, et pravis consiliatoribus plus justo plerumque tribuebat. Idem obstinati magis quam constantis vir animi, nec cedere, nec

nec imperare norat in tempore. Sub eo eruperunt mala, quorum pater semina sparserat. Jam primum omnium multum in eo peccavit, quod Buckinghamum, acceptissimum patri Jacobo, sed populo, ob intolerabilem animi superbiam, merito invisissimum, non retinuit modo sibi ministrum, sed eundem novis in dies honoribus ac dignitatibus auxit. Illud etiam imprudentius factum, ut, in ipso aditu regni, alienatis jam civium animis, bellum adversus Hispanos susciperet, quod parens adhuc, ob disturbatas filii cum Hispana nuptias, inferre, ni conatum mors interrupisset, decreverat. Ad id bellum sumtibus cum destitueretur Carolus, Parlamentum bis intra biennium, primum a. 1625, iterum a. 1626 convocat. Utroque, quod dicto minus audiens esset, infecta re, dimisso, tributa populo, contra leges, privata auctoritate imperat. Ortam inde publicam indignationem auxit accepta bello clades, copiis, quae ad Gades escenderant, partim caesis, partim foede repulsis per Hispanos. Eam ignominiam necdum eluerat rex, cum, instigatu Buckinghami, privatas cum Richelio inimicitias publicis armis ulcisci cupientis, novo cum Gallis certamini a. 1627 implicitus, deficiente pecunia, et classe, quam tumultuantibus Hugonottis, obsessis nominatim Rupellanis auxilio miserat, ductu Buckinghami, damno in-

certum, an dedecore majori debellatâ, confugere ad Ordines, et a. 1628 tertium convocare Parlamentum cogitur. Sedente eo, Buckinghamus, postquam frustra criminibus apud regem petitus, sica ex insidiis per Feltonium transverberatus. Id maturavit dissolutionem Parlamenti, superioribus duobus nihilo regi obsequentioris, nec tam praestandis Caroli postulatis, quam stabiliendis Ordinum juribus, privataque et publica libertate undique communiendâ, multo cum ardore occupati. Sublato Buckinghamo, et Parlamento tertium (1629 Mart.) soluto, ad pacem cum hostibus ineundam animum rex adjecit. Quae nullo negotio confecta cum Gallis a. 1629, cum Hispanis insequenti a. 1630, Anglico nomini parum honorifica, in foedere Hispanico, infortunati affinisque Electoris Palatini, in Gallico, Hugonottarum, quorum causa susceptum bellum praetexebatur, deserto penitus per regem patrocinio.

Inde totos 11 annos (1629—1640) Parlamento rex caruit, republica interim suo, et uxoris suae Henriettae (Henrici IV Galliarum regis filiae) incitatioris paulo ingenii, cetera praestantis foeminae arbitratu administrata. Id factum cum plerique indignarentur, regisque in omni parte reipublicae, maxime in exigendo aere, imponendisque populo vectigalibus novis licentiam verbis et scriptis

palam proscinderent, et qui audaciores, facere imperata obstinate detrectarent: rex temeritate suorum irritatus, imperii et judiciorum severitate, neque ea legitimo modo exercita, compescere, et a resistendo deterrere adversarios voluit. At illi, quod fieri in rerumpublicarum perturbationibus solet, libertatis et populari aura abrepti, obfirmatis ad proprium periculum animis, subeundas cum rege dimicationes non modo non defugere, sed eas, laudis et gloriae sibi apud populum materiam, ultro velut quaerere, suâque adeo constantiâ plures quotidie ad decoris ejusdem aemulationem accendere.

Rebus ita ad extremum fere casum in Anglia deductis, ecce novum aliud periculum regi a Scotis Presbyterianis seu Puritanis ortum. Qui Liturgiam (sacrorum formulam) Anglicanam, svasu Laudi Archiepiscopi Cantuariensis, per regem invitis sibi, et multum reluctantibus impositam aegre ferentes, foedus, quod *Covenantum* appellant, ad religionem contra quosvis turbatores, ipsumque adeo regem tutandam ineunt a. 1638, et in Synodo Glascoviensi Episcopis dignitatem abrogant. Ea re multo magis exacerbatus rex, atque ipse adversus Scotos magna sed parum fida manu profectus, antequam signa conferrentur, pactis utrinque conditionibus (Dumbari 1639), quibus suam ipse causam impru-

dentissime prodidit, exercitum dimittit. Cujus facti cepit eum non multo post poenitentia, et exspectavit belli, ac per hoc imperii, quod temere adeo projecerat, repetendi occasionem. Ab alia parte Scoti, quae sibi cum rege convenerant, pactis diffidentes, ad Gallos clam confugiunt. Literis, quibus opem eorum contra regem suum implorabant, forte interceptis, et ad Carolum regem perlatis: hic veteri Anglorum in Scotos odio confisus, conventnm Ordinum Angliae, quo jam 11 annos caruerat, a. 1640 (quartum) indicit, ac literis, probando crimini, publice recitatis, bellum in rebelles Scotos decerni, sibique ad id militem et pecuniam dari postulat. Cum non obtineret, Parlamentum, quod intestinis ante omnia malis ac querelis afferri medelam acrius contendebat, altero, quam convocaverat, mense dimittit 5 Maii; at contra Scotos, corrasâ undique pecuniâ, exercitum denuo conscribit. Sed occupatus ac victus ab his ad Newburnum (28-a Aug.), quum proceres Angliae, vulgo *Pares*, in re trepida Eboracum (24 Sept.) convocati, afflictis rebus succurrere nec possent, nec, si possint, velle viderentur, facere inducias cum Scotis (16 Oct.), et Parlamentum, flagitante populo, congregare quintum cogitur.

Parlamentum hoc, vulgo *Magnum* (Nov. 1640—Apr. 1653), Inferior nominatim Curia,

in cujus potestatem cuncta mox concessere, e Puritanis seu Presbyterianis maximam partem constabat, qui, ex ipsa religionis suae indole, ad abolendas omnes omnino Ecclesiae Catholicae in Anglia reliquias, circumscribendamque dominationem regiam proni, ad haec injuriarum quoque sensu, quas ex istis fontibus derivatas sub Domo Stuarta perpessi, exstimulabantur. Horum instigatu Ordines, periculum et virium suarum, et regis constantiae facturi, in ministros regios statim coorti, Straffordium et Laudum, reliquis fuga elapsis, reos peragunt, et perduellionis postulatos in custodiam inauditos dari jubent. Tum Scotis, qui hostes potius judicandi, ferroque a regni finibus summovendi erant, menstruum, icto foedere, stipendium promittunt, ut ad propugnandam Ordinum causam, si res ita tulerit, praesto essent. Inde ad curam reipublicae conversi, ne quid audaciam remoretur, sponsione regem obligant, non prius Ordines dimissurum, quam de sontibus sumptum supplicium, resque Anglicana ordinata penitus ac constituta fuerit. Biduo post (12-a Maii 1641) Thomas Wentworthius, Comes Staffordiae, cum et ipse, subnixo innocentia animo, fortissime causam diceret, et rex nihil ad summam contentionem reliqui faceret, ut virum praestantissimum, maximique consilii, et sibi addictissi-

mum, periculo liberaret, capitis a Parlamento damnatus, et rege, postquam victa populari furore constantia, sententiam Ordinum approbante, securi publice percussus est. Proditâ Staffordii causâ, suam simul rex prodidit, ultimumque auxilium, et humanam opem, quae una erat, ipse a se, impendente exitio, amovit. Casu tanti viri, tam regi suo fidi, concidere regiis animi: at adversaria factio, obsequio regis non lenita, verum audacior facta, primum (non defraudentur laude sua Ordines) praesidia tantum dominationis, quae libertati publicae revera offecere, destruere, tribunalia regni ordinaria ab arbitrio regio, cui nimium suberant, vindicare, magisque, quam antea, suae spontis reddere; dein sensim omnia omnino jura regia, quae bene ordinatis civitatibus cunctis sanctissima semper esse debeant, temere attrectare, convellere, rapere ad se, libertatemque, quam assertum ibant, dedita velut opera evertere. Quae inter rex, ubi nihil obsequio profectum videt, absentiâ odium mitigaturus, in Scotiam (10 Aug.) digreditur, comitante inimicissimorum hominum caterva, quos specie honoris inspectores ei ac custodes Parlamentum imposuit, et prius exercituum, per quos faciendum iter regi erat, parte una, Anglis in provincias distributis, parte altera Scotis cum gratia et muneribus domum decreto Parlamen-

ti dimissis, ne qua tentari fides eorum a rege posset. Dum in Scotia Carolus commoratur, et, habitis Ordinum comitiis, nimiâ obsequentiâ res suas magis etiam corrumpit: gravior alia intervenit ex Hibernia calamitas. Hiberni Catholici, duce quodam O-Neale, inita clam conspiratione, et 23-a Oct, quae constituta caedi per universum regnum dies erat, verso in Protestantes furore, 40 horum millia, nullo sexus aut aetatis discrimine, miserabiliter obtruncant, regemque auctorem sceleris palam, quamvis falso, profitentur. Id cum reversus e Scotia (25 Nov. 1641) Carolus bello vindicandum censeret, Parlamento, ad creandam regi apud populum invidiam, moras ultro nectente, acriusque interim in regiam majestatem, Episcoposque insurgente, rex svasu reginae et Digbyi (Lord), cujus exploratam multis rebus fidem habebat, paulo severius exercere imperium, alieno ut videtur tempore, decrevit. Itaque sex omnino, uni e Superiorum, quinque ex Inferiorum Ordinum (vulgo Communium, *Commons*) concilio viris actionem perduellionis intendit, et, cum causam eorum defendendam Ordines suscepissent, ipse, majestate imperii in casum et apertum discrimen data, in Parlamentum multis stipatus militibus venit. Ibi, omni nec-quidquam prompta acerbitate, praevalente Ordinum et plebis per eos concitatae audaciâ, ex-

trema omnia veritus, fugere urbe regia, et, retractato crimine, tantum non deprecari iram Ordinum cogitur (1642 Jan.).

CAPUT L.

Belli inter Carolum regem et Parlamentum Anglicum exordia, progressus; Independentium origo, vera notio; Olivierus Cromwellus; Scotorum perfidia, sera poenitentia; Cromwelli et sociorum, oppresso Parlamento, foeda dominatio; admissum in regem nefas.

Posteaquam severitas regi in 5 *Communes* parum prospere successisset, Ordines insistendum victoriae rati, ejectis post longam contentionem e Parlamento Superiori Episcopis, potestatem colligendi, et quo vellent, mittendi militis fieri sibi postulant. Id cum avertendorum, quae regi et regno impendeant, malorum praetextu importune nimis urgerent, neque tamen hac vice regis in rejicienda Ordinum voluntate constantiam ullo modo expugnare possent, summum militiae utriusque imperium, cum potestate munerum ac magistratuum constituendorum, regi ademptum ad se transferunt. Rex, qui longius interea urbe sua Eboracum secesserat, damnatâ palam, ac scripto exagitatâ Ordinum insolentia, vocatisque ad arma omnibus, quicunque salvam esse rempublicam vellent, (25 Aug. 1642) vi ac imperio redigere in ordinem rebelle

Parlamentum constituit. Bello tum erumpente, in quo civitates pleraeque cum Parlamento, nobiles pro rege stabant, primum mense Septembri ad Worcestriam velitatum, dein justiori proelio, sed dubio Marte, certatum 23 Oct. ad collem Edgehill in agro Warvicensi, iterum ad Newburyum a. 1643 20 Sept. Cum nihilominus superior causa regis videretur, Parlamentum veteres amicos Scotos, renovato foedere, rex Hibernos hostes, Anglosque suarum partium in Hibernia militantes, pactis induciis, in auxilium evocat. Sed exercitus Hibernicus in ipso adventu a copiis Parlamenti Fairfaxio duce partim caesus, partim dissipatus ineunte anno 1644. Parte ex alia Scoti, ad millia capitum viginti ductu Leslyi, impressione in Angliam mense Febra. 1644 facta, Anglisque foederatis juncti, regios, quibus Rupertus, infortunati Electoris Palatini Friderici V filius, Caroli affinis, praeerat, post leviores aliquot pugnas, gravi praelio prope Eboracum (ad Marstonmoor) vincunt 2-a Jul. 1644 Fairfaxio, Cromwello, et Manchestrio ducibus. Ex eo inclinari res Caroli, ac magnis passibus retro ferri, necquaquam restitutae victoriâ, quam regii in partibus meridionalibus minus memorabilem de Essexio (1-a Sept. 1644) reportarunt.

Inter haec e Presbyterianis, seu Puritanis, qui sublato Episcopali regimine, labefa-

ctata etiam regis et procerum (Parlamenti Superioris) auctoritate, soli intra et extra Parlamentum, per Inferioris Curiae Ordines, popularemque factionem, dominabantur, prodit nova *Independentium* hodiedum, sed multum attritis opibus, superstes *) factio, ex re nomen suum sortita, quod coetus Christianos *Independentes* i. e. sui omnino juris, nullique sive sacro, sive civili imperio obnoxios, sed solo interno animorum motu, et quadam velut divinitus facta inspiratione gubernatos cupiat. In Belgio illa primum, e reliquiis exulum Anglorum, quos *separatistas*, et a sectae suae conditore Roberto Browne (1581) *Brownistas* appellatos vertere solum Elisabetha coegerat, per Robinsonium a. 1610 excitata; inde in Angliam, labentibus Episcoporum sub Carolo rebus, propagata, ab a. 1642 magnas repente favore vulgi opes consecuta est, tam propter eximiae sanctitatis speciem, fervidumque religionis studium, quam ob indolem ac naturam doctrinae suae turbulentis istis temporibus accommodatissimam: cum nihil pronius esset, quam illam jurium ac personarum in Ecclesia aequabilitatem, ut rustici olim et Monasteriensis belli in Germania concitores fecere, ad civilem quoque reipublicae statum

*) a. 1691 sub Wilhelmo III, salvis institutis suis, sectae Presbyterianorum Anglorum, quae ipsa tenuis admodum est, adjuncta.

ab inquietis ingeniis transferri. Ad eam igitur factionem aggregati multi etiam aliarum sectarum ac religionum homines, quicunque, Democratiae quam vocant patroni, pendere populum aliunde quàm ex se ipso negabant debere. Atque huic mixtae, ex omnibusque sectis collectae fanaticorom hominum, populi dominatum volentium turbae rectius, quam uni alicui sectae religiosae, nomen illud *Independentium*, patrataque per eos scelera attribueris. Sed quicunque illi fuerint, (recentioris aevi Jacobinis Gallis simillimi) reliquas omnes factiones ac sectas odio regis superabant, et a rerum potentibus Presbyterianis differebant in hoc, quod *Presbyteriani* imperium regium non prorsus tolli, verum populo tantum subjici, *Independentes* autem ipsum regni nomen, atque una etiam procerum potentiam omnem (Aristocratiam) aboleri, et ob eam ipsam causam pacem atque concordiam cum rege, quam Presbyteriani aequis sibi conditionibus non detrectabant, modis omnibus impediri cupiebant. Furiosae perditissimorum hominum factioni praeerat Olivierus Cromwellus, supra quam aestimari potest magni sed pravi ac pestiferi homo ingenii. Nullis ille, quae magnum virum faciunt, animi dotibus, praeter unam eloquentiam, caruit, non in ineundis consiliis juncta promtitudini providentia, non in exsequendis constantia,

non in periculis fortitudine; ad quae laudum ornamenta, belli quoque adjecerat decora, ducendorum exercituum scientiam, in proeliis audaciam: vel maxime tamen eminuit acerrimum viri in indagundis ac perspiciendis hominum naturis ac characteribus judicium, capiendarumque inde utilitatum ac opportunitatum solertia. Virtutes ingentia aequabant vitia: infinita ambitio ac dominandi cupido; incoctum simulandi et dissimulandi artibus ingenium, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingva habens; animus ad vim fraudemque juxta paratus, et, dum voto potiatur, nec humanas nec divinas leges ullas respiciens. Natus nobili loco, juventute inter ludos ac faedas voluptates transacta, non sufficientibus libidini opibus, in Novam-Angliam, Puritanorum tunc in America receptaculum, fugere cum sui similibus decrerat. Nave jam conscensa, jussu regis e fuga retractum, et mox Cantabrigiae urbis suffragio inter Ordines *Parlamenti Magni* allectum, mala mens, pejor res familiaris, ad novandas res, perturbandamque rempublicam impulerunt. Consiliis et ingenio aliquamdiu celatis, erumpente bello civili, parti copiarum a Parlamento praefectus, cum faventem conatui fortunam, et partam sibi virtute nonnullam auctoritatem cerneret, post victoriam Marstonmooriensem, ubi magni imprimis fuit ejus

opera, imperium a Parlamento ad exercitum traducere, et per hunc viam sibi ad dominatum munire proposuit. Lege igitur lata (cujus nemini nisi Cromwello facta gratia) ne qui Ordinum ullo sive civili sive militari munere fungi possent, (self-denying Ordinance, i. e. de abdicando munere Edictum. 1644 Dec.) exauctoratisque eo facto antiquis legionum ductoribus, qui membra curiae, Puritanarumque partium erant: eo rem homo callidissimus perduxit, ut summa rerum Fairfaxio, bellicoso sed simplici viro, quem totum in sua potestate habuit, committeretur; ipse, ad vitandam etiamnum concupiscendi imperii suspicionem, partibus secundis contentus, vicariam ex se pendenti amico operam juberetur praestare. Inde fidissimis ac audacissimis quibusque suorum in societatem imperii allectis, brevi exercitus totius, et per eum paulatim summum rerum omnium arbitrium consecutus est. Multum imprimis adolescenti potentiae profuerunt celeberrima de regiis ad collem Naseby (prope Leicestriam) die 14 Junii 1646 reportata victori, et rex, assumptis ad Chestriam (24 Sept.) copiarum reliquiis, Oxonium a. e. mense Novembri fugere, moenibusque se se defendere coactus. Nobilis etiam annus supplicio Laudi (10 Jan.) et colloquio Uxbridgiae inter regis et Ordinum legatos ad reconciliandam pacem (Feb. 1645) habi-

habito; sed conatu irrito: cum Parlamentum jus belli et pacis, creandorumque judicum ac magistratuum potestatem in antecessum tribui sibi a rege postularet; rex autem confessa adeo ac propria majestatis regiae jura eripi sibi nullo modo pateretur. Anno insequenti, Fairfaxio ad oppugnandum Oxonium appropinquante, rex, cum nec paciscendi, nec bellandi rationem ullam videret, desperatis rebus, relicto clam Oxonio, Newarkiam (in Mercia s' Anglia Media) in castra Scotorum (4 Maii 1646) profugit, his, quam Parlamento Londinensi, tutius fortunas suas vitamque concredi posse arbitratus. Sed vero Scotos non regis sui in fide eorum ac virtute reposita singularis fiducia, non infortunium, non vetus cum Anglis simultas, non propior sibi quam Anglis cum rege, utpote oriundo ex Scotia, ejusdem secum nominis sangvinisque, necessitudo perpellere potuit, ut positis magno animo odiis, regem vel cum periculo suo defenderent. Receptum igitur per fidem, repetentibus Anglis, postquam exsoluta, quae restabant, stipendia (400,000 sterl.), pretio velut venundatum et regem et supplicem Parlamento Anglico, ipsis assentientibus Scotiae Ordinibus, in manus tradunt, pacta tamen, antequam traderent, regii capitis incolumitate a. 1647 cum fine Januarii. Bello tum finito, et Scotis in patriam reversis ab

una, ab altera parte Carolo in custodiam dato: *Presbyteriani*, ut numero ita auctoritate adhucdum in Parlamento superiores, ad compescendam *Independentium*, ope exercitus dominantium audaciam, dimittendi militis partim, partim in Hiberniam transferendi mentionem injiciunt. Id veriti Cromwellus et socii exercitum in Parlamentum irritant; regem 4 Jun. Holmbyae, ubi jussu Ordinum asservabatur, subito impetu Joycei, sartoris quondam Londinensis, in manus suas redactum, in castra abducunt; Londinum veniunt 6 Aug. 1647; Parlamentum militari manu opprimunt, proturbatis, quos plurimum obstare sibi ac remorari victoriam judicabant. Inde colloquia reconciliando regi ad speciem denuo habita: quibus cum nihil effici, jamque de vita laborandum sibi intelligeret Carolus, e custodia (11 Nov.) elapsus, in Vectim (Wight) insulam se recipit, non invito, ut quidam volunt, Cromwello, qui eam maturandae regis ruinae occasionem dari sibi optabat. Vecti ab insulae ejus praefecto Hammondo, qui partibus Cromwelli studebat, detentus, diligentius ab eo tempore coepit custodiri, et ab inimicis in majus quotidie odium fictis criminibus apud populum adduci. Quibus rebus nuntiatis, Scoti, tunc demum admissi in regem flagitii poenitentia, sed sera, ducti, liberandi ejusdem capiunt consilium, et a. 1648 (Jul.) duce Ha-

miltonio in Angliam infesto agmine descendunt. His cum exercitu factus obviam Cromwellus, 20 hostium millibus, cum ipse 8 non amplius millia haberet, ad internecionem pene caesis, capto duce, victor in Scotiam penetrat. Rebus ibi arbitratu suo constitutis, et mox reliquiis belli, quod Angli, militarem dominatum perosi, communicatis cum Scoto consiliis suscitarant, celeriter profligatis, tempus esse prorumpendi ratus, regem, Neoportum (Newport) interea Vecti, jussu Ordinum, tentandae pacis consilio, translatum, sub militum denuo potestatem redigit, et in arctiorem custodiam Hurstum (1-a Dec.) deduci jubet. Quadriduo post exercitus, Cromwello et genero ejus Iretonio impulsoribus, Londinum, contra disertum Parlamenti mandatum, tumultuarie ingressus, facto in curiam impetu, (6 Dec.), quadraginta *Communium* ex iis, qui interritis maxime animis obviam eundum militum audaciae, et vi vindicandum imperium urgebant, in vincula rapit, 160 alios protrudit foras. Tum Curia inferior 50, ad summum 60 non amplius capitum, eaque tota Cromwelli partium et arbitrii, rescissis, quae inter Regem et Ordines dudum convenerant, in judicium capitis vocandum regem, cognitores ac judices caussae extra ordinem constituendos, Ordinum Superiorum Conventui ad paucos aeque redacto, et hoc etiam

obedientiori sperato proponit. Ii cum, praeter exspectationem, scelestum consilium non sine horrore repudiassent: irritati hac procerum constantia *Communes*, proposito prius Edicto (1649. 4 Jan.), quo summam imperii, majestatemque penes populum esse, declararunt, sibi solis, populi utpote personam sustinentibus, legum ferendarum potestatem, supremumque rerum omnium arbitrium vindicant; exin regem Londinum, inter multas insultantium militum et ex plebe hominum contumelias, deportatum, et statim cunctis regiae dignitatis insignibus spoliatum, delegatis 133 judicibus, (quo in numero erant Cromwellus, Iretonius et plures *Independentium* antesignani, tribuni militum plerique, civium praeterea Londinensium nonnulli, Bradshavo jurisconsulto praesidente) non judicandum sed damnandum objiciunt, proditae reip. profusique temere civium sangvinis actionem ei, nomine populi Anglicani, intendentes. Ibi per judices interrogatus rex, cum se natum eorum regem, nulli humano judicio, nedum isti subditorum ac inimicorum suorum, patriaeque hostium, et legibus Anglicis plane adversanti judicio, subjectum, non magis vere quam fortiter ac impavide contenderet, negavit se causam dicturum, et in defensionem criminis, quod in accusatores ac judices suos potius conveniat, descensurum. Quae ubi dicta, auditaque non

audaciam temperassent, sed rabiem accendissent impiorum hominum, neque eo secius rex in proposito suo perstaret, et eadem omnia, quae primum effatus erat, iterum tertiumque auditus, digna regio fastigio animi magnitudine ac constantia asseveraret: sententia judicum (quorum nunquam ultra 70 infando judicio interfuisse constat, reliquis, quibus sanior mens, verecundius ingenium, in his Fairfaxio, atroci adeo scelere obligare se et famam implicare non ausis) in *Contumaciam* (perinde ac si ipse fassus esset crimen) damnatus, et triduo post, nequicquam intercedentibus Scotis, exterarumque gentium legatis, neglectis etiam reginae uxoris in Gallia, et filii Caroli in Hollandia tunc absentium, sed pro vita ac incolumitate regis per literas annitentium precibus, die 30 Jan. 1649 securi in foro Londinensi percussus est: sic subito consecutâ odium misericordiâ, ut quem vivum interemptum adversarii cuperent, eundem mortuum vellent, si possent, plerique ad vitam morte sua revocare.

Atque hoc primum exemplum in Europa, civium non vi, non impetu, aut structis clam insidiis, sed jure palam ac publice in caput ac vitam regis sui grassantium: exemplum sane, ut pessimi exempli, (*trahentis perniciem veniens in aevum* Horat. Od. III. 5.) ita auctoribus quoque suis infelix, non, nec

si merenti quidem, ac jure accidisset, probandum, imo damnandum, ac summe detestandum, si vel leviter consideraveris: satis superque gratuiti furoris in multitudine esse, civitates imperio contineri, imperium autem insita mentibus religione magis quam viribus niti: istam proinde religionem, ac sanctitatis Imperantium opinionem ex animis delere, sacrosanctum imperii nomen, majestatemque publico judicio profanare, tantundem esse: ac ferocem per se multitudinem imperitam publica auctoritate armare, vinculum societatis, pro qua natus homo, dissolvere, et horrendum illum, quem vocant, *Naturae Statum*, qualem ferarum cernimus, ubi *assiduum inter pares discordia malum* (Sen.), visque unica mensura juris, in vitam velle, atque in communionem quodammodo inducere hominum.

Famâ caedis per Europam ditâ, horror ingens bonorum omnium animos perstrinxit, partim atrocitate ipsius facti, partim serpentis contagione veneni metu. Quem tamen metum fortuna Europae, et situs Angliae interfuso mari a terra continenti avulsae vanum tunc reddidit: manente nihilominus malo, quod quo serius, eo vehementius insequenti seculo in Gallia erupit.

CAPUT LI.

Regni nomen in Anglia morte Caroli abrogatum; Hibernorum et Scotorum irriti ad restaurandum illud conatus. Cromwellus pessimis quaesitum, bonis artibus exercet imperium. Edictum Navigationis. Resp. conditori suo non diu superstes. Regnum domui Stuartae restitutum.

Caeso rege abolitum cum nomine (6 Febr.) regium imperium; sublata Superior, seu Procerum Curia; numerus Ordinum Curiae Inferioris, violentia militum ad paucissimos anno superiori redactus, allectis quibusdam novis, quo plus auctoritatis frequentia membrorum faceret, ad 80 expletus; atque mutilo huic et parte sui potiore deminuto Parlamento (vulgo *Rump-Parlament*) legum ferendarum, eas autem exsequendi facultas 38-virali collegio attributa; poena capitis de praecipuis quibusque regiarum partium defensoribus, in his de Hamiltonio et Hollando Comitibus repetita, eademque in omnes, quicunque restituendi regni consilia inirent, constituta. Inde umbra ac simulacra imperii penes populum, vis et potestas penes militem et Cromwellum. Quorum metu deterritis a resistendo, qui, suam patriaeque simul vicem indignati, vindictam parabant, pacata ad speciem domi respublica, foris quoque tuta videbatur, quum Statibus exteris, bello inter se commissis, nec facultas nec animus esset turbis Anglicanis se-

met immiscendi. Ceterum, unde minus timebatur, periculum reipublicae creatum. Hiberni et Scoti, illatam regi vim, seque, libertatem dum quaerunt, in servitutem delapsos aegre ferentes, Carolum II primi filium regem publice pronuntiant, armaque restituendi ejus caussa suscipiunt. Nova ea et peroptata crescendi materies Cromwello, cui bellum utrumque provincia evenit. Ab Hibernis orto tumultuum initio, ii primum victi, et, insulâ omni armis domitâ, in formam provinciae redacti. Victor inde decedens Cromwellus, et (quia Fairfaxius, cui Scoti provincia destinati, proficisci ad bellum illud ut impium detrectabat) supremus copiarum dux (Jun. 1650) creatus, in Scotiam a Parlamento mittitur. Ibi Carolus II-us ad regnum, sed durissimis propositis conditionibus vocatus, re primum armis per Marchionem Montrose tentata, cum parum ita proficeret, paruit necessitati, et regnum iis, quibus primo delatum, legibus accepit (23-a Jun. 1650.), at brevi, ante quam communitum, eversum a Cromwello. Qui Scotis duce Leslyo cruentissimo ad Dumbarum proelio (3. Sept. 1650.) penitus confectis, Edinburgum, fugato rege, ingreditur. Vere insequenti renovat bellum Carolus; victus iterum, capto ex desperatione consilio, in Angliam cum exercitu descendit. Sed Cromwellus citato eum gradu secutus,

et ad Worcestriam assecutus, pugnâ ibi (3 Sept. 1651) commissâ, exercituque partim caeso, partim in deditionem compulso, irritas omnes ea victoria spes hostium reddidit. Carolus mutata veste, dissimilemque fortunae suae habitum indutus, aegre post multos errores in Galliam elapsus; Scoti subacti ac pacati a Monckio, Hibernis non melius sub jugum missi. At Cromwellus triumphans Londinum redit, in Parlamentum venit, fit auctor *Edicti*, quod *Navigationis* (1 Dec. 1651) dicitur, condendi, quo cautum: 1, ne navibus exterarum gentium merces alias, praeterquam suas in portus Anglicanos inferre liceret. 2, ne merces Anglicanae navibus aliis nisi iis exportari possent, quae in portubus Anglicanis aedificatae, ad haec nautarum $\frac{2}{3}$ ad minimum partes una cum gubernatore navis natione Angli essent. Edicto isto jacta maritimi Anglorum imperii fundamenta, vulnus contra fatale reliquis Statibus, Hollandis maxime inflictum, qui alienis mercibus quaestum imprimis exercebant. Hi invisi dudum Anglis, non solum quod favissent clam regi infortunato, cujus filiam tenebat in matrimonio Wilhelmus II Hollandiae Locumtenens, sed etiam quod Carolo II refugium quaerenti dedissent, caedemque legati Anglicani inultam sivissent, Hagae Comitum ab exulibus Anglis nuper interfecti. Animos praeterea stimulabat etiam pe-

riclitandarum bello virium cupiditas. Quare, cum Hollandi stare Edicto Navigationis, et foedus, quale petebatur, inire nollent, arreptâ hinc Angli occasione bellum iisdem indicunt a. 1652. Flagrante eo cum Parlamentum nimiam Cromwelli potentiam metuens, praetextu levandi onere populi, mentionem dimittendi terrestris exercitus injiceret: Cromwellus sibi ea re parari periculum non ignarus, concitatis denuo militibus, Parlamentum, ferro proturbatis Ordinibus, dissolvit (20 Apr. 1653), plaudente populo, qui dominatum Parlamenti perosus, res alioquin successu potius quam ratione metiri consvevit. Hic finis fuit Parlamenti Magni, suis artibus, et, quam regi ac reipublicae indignissimam pararat, eadem justissima demum ruina oppressi.

Soluto Parlamento Cromwellus, e sententia militum, novo Ordinum, et eorum quidem 128 ex Anglia, 5 ex Scotia, 6 ex Hibernia, ad summam 139, indicto conventu, his negotium ferendarum legum, et supremam potestatem ad 15 menses committit. Ii civitatum plerique legati, homines imperiti, stolidi, ac fanatici (vulgo *Barebones-Parlamentum* dicti, a Barebone quodam negotiatore coriario, qui primas in isto conventu partes egerat) cum temere cuncta miscerent, praeeuntibus astutioribus quibusdam, quos sibi addictissimos consulto illis Cromwellus intermiscuerat, imperium

sexto quam acceperant mense tribunis militum coacti restituunt; tribuni autem, novâ civitatis formâ tumultuario opere descriptâ (utpote cui tres non amplius dies a duce Lamberto insumptos constat) summam reipublicae totius Cromwello uni, addita trium regnorum *Protectoris* appellatione, deferunt 12 Dec. 1653. Protectoris erat, Parlamentum convocare, et, si vellet, dimittere, dummodo non ante quintum mensem. Protectori adjunctus 15 membrorum Senatus, vulgo *Status Consilium*, cui multa cum Protectore communia, illud proprium ac praecipuum, mortuo Protectore eligere successorem. Ab hoc tempore, quamvis carebat nomine, regiam imo regia majorem Cromwellus potestatem habuit, qua sic usus est, ut appareret, eum male parti imperii scelus, bene gesti muneris laude expiare, si posset, apud animum proposuisse. Sub eo tranquillata domi respublica et insigniter locupletata, foris auctum imperium, parta auctoritas, ut potentissimi reges foedus et amicitiam ejus, missis legationibus, certatim expeterent. Primum crescentis potentiae fundamentum, supramemoratum *Navigationis Edictum*, natumque inde cum Belgis Foederatis navale bellum, quod peritissimorum mari ducum, Trompii patris hinc, qui Belgis, Blakii (Blake) illinc, qui Anglis praeerat, auspiciis, incredibili virtute et con-

tentione, minus triennio gestum, cladibusque gentium mutuis nobilitatum, Cromwellus a. 1654 gloriosissima demum Anglis pace clausit, qua Belgae-Foederati Anglis principatum maris cedere, fidemque dare coacti, non se amplius perfugium exuli Carolo praebituros. Imo inter secretas conditiones hoc quoque relatum legimus: ne quem unquam e Domo Arausionensi Locumtenentem sibi Ordines Hollandiae legerent. Anno insequenti bellum Cromwellus cum Hispanis occipit, partim praedae potiundae, ob tenues Hispanorum opes, non dubia spe, partim bello foris suorum animos occupandi, et a cura rerum internarum per id avocandi studio. In eo bello clarius etiam virtus exsplenduit Anglica: super domitam a. 1655 in India Occidentali Jamaicam, classe Hispanica, quae argentum ferebat, bis per Blakium exusta a. 1656, et parta ingenti praeda, quam Cromwellus, quo insigniorem ac conspectiorem populo suo victoriam redderet, terrestri itinere multis curribus Londinum devehendam curavit. Sua Cromwellum comitata fortuna etiam in terrestri certamine, quod conjunctis cum Gallo viribus in Flandria adversus Hispanos itidem suscepit. Ubi Mardyckum et Dunquerca, communibus armis expugnata a. 1658, Anglis ex pacto tradita sunt. Inde aviditate animisque cum successu crescentibus,

totum fere Belgium Hispanicum, imo Bremam quoque et Helsingoram (urbem Selandiae ad ostia freti Oresundici), si diutius vixisset, potestati suae subjicere proposuerat, quo sic Baltici et Germanici simul maris principatum sibi vindicaret.

Dum ea foris gesta, domi odiis suorum, et conspirationibus conflictabatur civium, quas tamen feliciter omnes discussit, et ne in caput suum prorumperent, rara vigilantia effecit. Parlamentum, seu conventum populi, qualem lex jubebat, bis convocavit: primum a. 1654, congregatum d. 3 Sept. dimissum ob insolentiam d. 22 Jan. 1655; deinde alterum a. 1656, a quo nova gubernandae reip. proposita forma, inter alia, condendi novi Parlamenti Superioris, et quem vellet, successorem sibi designandi potestas *Protectori* concessa, imo regium etiam nomen imperiumque petenti eidem (1657) oblatum, quod tamen ille, cum plurimos, etiam familiae suae hominum, acerrime renitentes videret, rectius secum reputata re, et victa metu cupiditate, non sustinuit accipere. Hoc quoque conventu, cum, processu temporis, non praesidium dominationi, sed exitium videretur parare, d. 4 Febr. 1658. dissoluto, in reliquum Parlamento caruit. Quod nisi morte non multo post interceptus fuisset, videtur invidiae, et insidiis suorum succubiturus fuisse, quas

sic, extrema imprimis aetate, scelerum furiis agitatus, et nulli ne amicorum quidem ac necessariorum fidens animus timuit, ut loricam et arma, vestium perpetuo involuta integumentis, nunquam, ne domi quidem, deposuerit; duas continuas noctes in eodem cubili transigere, via, qua modo iverat, redire, nec inter armatas stipatorum catervas, quas praesto semper in corporis custodiam habuit, tutum sibi judicarit. Obiit 3 Sept. 1658, scelere onustus et gloria. De quo vere dici potest, ausum eum, quae nemo auderet bonus, perfecisse, quae a nullo nisi fortissimo viro perfici possent.

Conditori suo Cromwello non diu respublica supervixit. In nomen ac dignitatem parentis successerat quidem filius Richardus, sed ille pacis otiique studiosus, et nihil minus, quam paternae indolis, octavo imperii mense (22 Apr. 1659) summam rerum militari factione adimi sibi facile passus est. Ibi republica in manus denuo militum redacta, hi exosum populo Rump-Parlamentum, dominationis olim suae instrumentum restituunt, restitutum, post 6 menses, quod suum imperium quam alienum mallet, dissolvunt, et summae rei delectos civium ac militum in summa 23 viros, quibus *Commissio Securitatis* nomen, praeficiunt. His quoque brevi labefactatis, et Rump-Parlamento 26 Dec. 1659

secundum restituto, cum interim militum quoque scissa concordia, et, omni imperantium parentiumque sublato discrimine, res esset in extremum deducta casum: per eam occasionem Monkius rector Scotiae, propensa dudum, sed pro tempore tecta in Carolum voluntate, cum exercitu Londinum veniens, viam revocando regi praemunit, reductis (21-a Febr. 1660) in Parlamentum Presbyterianis, quos a. 1648 d. 6 Dec. per vim pulsos supra commemoratum. Exin fractis Independentium viribus, et principatu ad Presbyterianos iterum translato, hi partim auctoritate Monkii, patriaeque caritate, partim aemulatione et odio adversariorum, ad restituendum regnum, repetendamque veterem reipublicae formam excitati, suum ipsi concilium ultro dissolvunt (16 Mart.), novumque, qualem lex et antiqua consvetudo ferebat, Ordinum indicunt conventum. In eum meris regiarum partium viris a populo, junctam licentiae servitutem peroso, allectis: unanimi curiae utriusque consensu Carolus II, post oblatam ab eo et per Ordines approbatam ante actarum rerum oblivionem, rex (8 Mai.) pronuntiatus, et missa perhonorifica legatione, ex Gallia, ubi tum erat, arcessitus, regnum Londini d. 29 Mai. capessit, tanta omnium laetitia, ut, quod faciendum ante omnia res svaserat, novis regium imperium ab una, publicam libertatem ab

altera parte legibus vincire ac communire, futurisque sic inter Regem et Parlamentum controversiis ansam tempestive praecidere, in mentem prae gaudio veniret nemini: proinde ac si alius populus, non ille ipse, cui tum lacrimas diu desiderati regis sui adventus elicuit, exitium regi et regno comparasset.

CAPUT LII.

Turbae Gallicae, vulgo Funditorum. Adversarum partium consilia, duces, excitatum ab his bellum. Mazarinii et regiorum fuga, fugam secutus triumphus. Belli cum Hispano finis exoptatus; Pax Pyrenaea. Mors Mazarinii.

Dum Anglia a tenui principio tantas excitatas vidit tragoedias: Gallia e turbis multo, si initia spectentur, gravioribus, et ortu suo ruinam reipublicae visis minari, feliciter, nullo memorabili incommodo, eluctata est. Scilicet summa omnia ibi, libertas populi, jura Ordinum, hic privatorum nonnisi inimicitiae, ambitio, ac cupiditates subversabantur; ibi rebus potius quam personis, hic personis multo magis quam rebus debebatur seditio: inde dissimiles adeo rerum exitus.

Post certamen Pace Westphalica in Germania gloriosissime finitum, bellum quidem cum Hispano restabat adhuc Gallis, sed ad id prope supererant vires, quibus in turbas statim intestinas, certando inter semetipsos, abu-

abusi. Causa turbarum potissima, Mazarinii hominis peregrini potentia, quem populo invisum amovere omni modo a gubernaculis reipublibae studebant proceres, nec regis ut pueri, nec reginae matris ut foeminae, ejusque extraneae, ita ut par erat, reveriti auctoritatem. Tumultus a. 1648, rebus in Germania ad pacem vergentibus, coepti, minus quinquennium durarunt. Tumultuantibus, *Funditorum* (les Frondeurs) nomen, quod se, exemplo Davidis, fundâ Goliatheam Mazarinii magnitudinem prostraturos minitarentur. Factioni nec unum caput, nec uno semper animo regebatur. Mazarinio certe nemo magis infestus, nemo in accendenda, nutriendaque discordia animosior, quam Paulus Gondius, Archiepiscopus Parisiensis designatus, (Coadjutorem vocant) postmodum Cardinalis Retzius, ab Archiepiscopatu Corinthio, cujus titulum gerebat, etiam *Corinthius* dici solitus, homo excellenti ingenio, sed ad turbas nato, quietisque impatientissimo, ad haec arrogans, temerarius, plenus popularis aurae, quam largitione, eloquio, et pietatis sibi adjunxerat simulatione. Magnum praeterea istarum partium momentum Senatus Parisiensis et Longavillea (Duchesse de Longueville) Condei soror, mulier conciliandis sibi, at proritandis invicem committendisque inter se viris genita, potens formae et ingenii illecebris, civi-

lium turbarum discordiaeque, non ad proprium commodum ullum, sed ad ludum, et sui oblectationem, avidissima. Cum factione adversaria, cui *Regiorum* seu *Mazarineorum* a Mazarinio duce nomen, stabant magistratus plerique, et quoscunque sibi beneficiis vel privatim vel publice devinxerat Mazarinius. Diversi ab utrisque, et ob eam causam neutris accepti ita dicti *Mitiores* (les mitigès) seu *Moderatiores*, auctore Moleo, Senatus Parisiensis praeside, viro gravi ac prudenti, mediis standum consiliis, potentiam Mazarinii non penitus evertendam, sed temperandam, levanda tributorum onera, consulendumque exhausto populo urgebant. Seditio, cui famosis diu libellis, regiae auctoritati summe injuriis prolusum, coorta primum Lutetiae, occasione Brousselii Senatoris, quod prae ceteris audacter in Senatu locutus, populique causam tuitus esset, in custodiam dati (26 Aug. 1648). Ad eum liberandum fit concursus populi. Quadrantis horae spatio obseptae tumultuantium civium armis plateae; et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes promiscue, limphatis coeco furore animis, exercent. Inde ad obsidendum regium palatium versi, aegre, quominus irrumperent, foribus et militum virtute coerciti. In summo discrimine Gondius, demerendae reginae, et labefactandi per eam Mazari-

nii consilio, placandam efferatae multitudinis iram suscipit, itaque fecit. Minus quam sperabat honorata virtute, quippe pars magna turbarum, quod erat revera, creditus, spirans vindictam, tumultum postridie, longe praecedenti graviorem, concitat. Ibi victo vi imperio, post cruentatas caede mutua militum civiumque manus, necessitas dimittendi Brousselii reginae expressa.

Sedato utcunque tumultu, et aula, quo se furori populi, atque arbitrio Senatus Parisini subtrahat, Ruellium, tertium ab urbe lapidem, obtentu salubrioris aurae, secedente, reparare ignominiam Mazarinei, victoriam exercere Funditores, utrique praesidium potentiae Condeum adjungere sibi cupiebant. Multum imprimis Gondius de eo ad partes suas pertrahendo laborabat: sed magnus vir et excelsus, nulla dum provocatus injuria, obfirmato contra factiosorum illecebras animo, causam regis et aulae, quod svasit officium, suscipit defendendam. Opera atque auctoritate ejus pax inter aulam et senatum mense Octobri reconciliata, ea lege, ut populus parte onerum levaretur, peregrini a muneribus publicis arcerentur, regina Literis, quas *Sigilli* vocant (lettres de cachet) (quibus infensos sibi, indicta causa, clam intercipiendos curare consvetum aulae) grassari in vitas ac libertatem civium desisteret. Sed male coali-

tam divulsit amicitiam inquies Gondii, quod pacatis rebus desperabat, turbatis consequi cupientis animus. Qui praereptum sibi Condeum dolens, ut tanti jacturam viri quodammodo solaretur, fratrem ejus Contium, et sororem Longavilleam, Beaufortiumque insuper sibi conciliat, Henrici IV e Gabriela d' Estrea nepotem, hoc ipso tempore e vinculis, in quae, ob praebitam novandarum rerum suspicionem, ante quinquennium (1643) conjectus erat, liberatum, plebi Parisinae, cujus mores et lingvam imitatus, longe acceptissimum. Amor Longavilleae, et aemulus laudum Condeus brevi ad partes traxere celeberrimum quoque Turennium, maximum factionis incrementum, nisi vigilantia et largitio Mazarinii infidum duci suo exercitum reddidisset. Interim ad crescentem novae seditionis metum aulâ regiâ Parisiis iterum (6 Jan. 1649) profugiente, et senatu, qui contra disertum reginae edictum manere in urbe decrevit, Mazarinium, ut quietis publicae turbatorem, hostem patriae judicante, belli utrinque apparatus fieri, exercitus conscribi, populus ad arma adversus regiae potestatis usurpatores peregrinos vocari, a Gondio maxime, qui nunc infulatus de sacro suggestu verbis, nunc positis insignibus, ferrum et arma expediens, facto civitatem concitat. Tandem, tumultu cunctis intra et extra urbem

ferventibus, ubi orando nihil profectum, armis rebellem civitatem ad obsequium reducendam regina Condeo imperat. Ille, publicis primum viis, et suburbiis, ut rei frumentariae angustiis et fame urbanam multitudinem domaret, occupatis, deinde hostibus, qui ad liberandum commeatum obviam sponte processere, non incruento certamine fusis, cum infestus urbi immineret: Gondius, desperato exercitus Turenniani auxilio, labentibus rebus fulcrum et adminiculum apud hostes Hispanos circumspicit. Id sentiens agi regina, et quorsum evaderet verita, oratores ultro ad senatum, pacem petitum, mittit. Qua, post acerrimam *funditores* inter et *moderatos* altercationem, aegre restituta (11 Mart. 1649), et mox aula regiâ, Mazarinio et Condeo comitantibus, Parisios (18 Aug.) reversâ, cum virtutis suae et meriti conscius Condeus, Mazarinio, ob timiditatem, et viro forti indignas artes, susque deque habito, liberius se negotiis publicis immiscere, et, militari more, imperiosius, cum reginae etiam offensione, agere multa coepisset: per eam occasionem Mazarinius, nemini cedere imperium paratus, inimicitiis primum inter Condeum et Funditores callide conciliatis, dein Gondio, ostentatione amplissimae dignitatis Cardinalitiae ad partes suas pertracto, hujus et Funditorum subnixus favore, Condeum cum fratre Con-

tio, et affini Longavilleo in vincula conjiciendos (1650. 18 Jan.) curat. Ad eos liberandos tumultu passim per provincias ab amicis ac necessariis excitato, breve, sed atrox exarsit bellum civile. In quo Turennius, impulsu Longavilleae, adjunctis sibi hostibus Hispanis, et sumpto *Generalis regni Locumtenentis* nomine, in Galliam magna manu e Belgio irruit: sed victus ad Rhetelium (in Campania) 15 Dec. 1650, nihil nisi, potentiam Mazarinii, quam eversum venerat, communivit. Verum haec Mazarinio laetitia haud fuit diuturna. Gondius, cum oblitum promissi Cardinalem, et in dies insolentiorem videret, ardens ira, reconciliatis Condeo Funditoribus, eo rem perduxit, ut senatus, populusque pellendum regno Mazarinium, dimittendosque principes captivos, minaciter fremerent. Ibi restituta captivis (4 Febr. 1651) libertas; Mazarinius, cedendum tempori ratus, Coloniam (6 Febr.) exsulatum clam abiit. Rex et regina, evadendi cum eo quaerentes occasionem, acri custodia ab incepto revocati, quid quod subscribere senatus decreto coacti, quo in perpetuum regni finibus interdictum Mazarinio. Non tamen vel in exsilio gubernare consiliis reginam et regnum callidissimus mortalium destitit. Ejus imprimis factum opera, ut concordiâ foederis inter Condeum et Gondium, qui Cardinalitiam hoc demum anno

dignitatem intercessione aulae consecutus, turbatâ, Funditoribusque acrius in Condeum coortis, hic partim ancipitis periculi metu, partim vindictae cupiditate, in armis auxilium et apud hostes Hispanos praesidium rebus suis quaereret. Recrudescente tum bello civili, et rege interim idoneo ad regnum, cum tredecim ipsos annos natus esset, declarato (7. Sept. 1651): Mazarinius sub finem anni, infenso licet usque senatu, in Galliam, cum septem proprio aere collectis armatorum millibus, triumphanti quam fugitivo redit propior. Cum subitario hoc et reliquo exercitu regio Turennius, quem rex sibi reconciliatum summae belli praefecerat, non victoris modo impetum remoratur Condei, sed eundem sub ipsa regiae civitatis moenia gravi proelio victum (Jul. 1652) videtur interimere potuisse, nisi fugienti portas urbis suae Parisini patefecissent, Turenniumque insequentem displosis velut in hostem tormentis accessu prohibuissent. Post hanc victoriam, propositamque publice anteactarum rerum oblivionem, rex in urbem regiam (21 Oct. 1652) intromissus, neque tamen prius, quam ardentem invidia Mazarinium, postulante senatu, dimitteret, regnoque iterum excedere juberet. Hoc pretio delinitus conquievit populus, proceres in gratiam cum aula reversi, Cardinalis Retzius in vincula conjectus, Condeus in Bel-

gium ad Hispanos profugit. At Mazarinius proximo anno gloria aliquanto majore, quam quanta ejectus modo erat ignominia, in regnum et aulam restitutus, Parisiosque pompa fere regia inter festos mutabilis vulgi clamores, procerumque studiis inter se certantium infinitas gratulationes (3 Febr. 1653) ingressus, ex eo tempore quietus remp, dum vixit, gubernavit, regiumque ita communivit imperium, ut post mortem quoque ejus, etiam insequenti seculo diu sola regum placita lex essent.

Intestinae hae Gallorum discordiae, non parum hostibus Hispanis profuerunt. Qui per eam occasionem non Cataloniam tantum, Barcinone a. 1652 expugnata, in ordinem redegerunt, sed multa etiam Belgii loca, superioribus annis Gallorum imperii facta, in his Gravelingam, et Dunquercam armis recuperarunt. Sedatis vero turbis, statim sua Gallis rediit fortuna. Anno 1654 Hispani magna clade ab Atrebati obsidione rejecti; anno insequenti navali praelio prope Barcinonem victi, atque iidem complura Cataloniae et Belgii oppida victoribus Gallis cedere coacti. Annus 1656 laetior paulo Hispanis, victoriâ de Gallis ad Valencenas (Valenciennes in Hannonia. 16 Julii) ducibus Condeo et Johanne Austriaco Philippi IV notho reportatâ. Sed detrimentum Francis foedere et amicitia Anglorum (1657), communiumque inde armo-

rum successu abunde compensatum, recepta nominatim (1658) Dunquerca, quam, Anglis ex pacto traditam, quadriennio post (1662) grandi pecunia Galli redemerunt. Per id tempus occupata etiam alia Flandriae oppida, in his Ipra, et Gravelinga. Quibus rebus territi, fessique bello Hispani pacem petunt, eamque a. 1659 ad montes Pyrenaeos minus sibi aequam ineunt, utpote coacti, in confinis Galliae Comitatum Ruscinonensem (Roussillon), in Belgio Artesiam fere totam, cum multis Flandriae et Luxemburgi locis, Gallorum permittere ditioni. In conditionibus quoque erat: ut Condeus salvus ac incolumis in patriam restitueretur; Maria Theresia Philippi IV filia Ludovico XIV nuptum daretur, non tamen aliter, nisi Ludovicus, antequam duceret, omni in Hispaniam juri ac potestati, tam suo, quam haeredum nomine, solenniter in perpetuum renuntiarit. Pax Pyrenaea fundatam Pace Westphalica Galliae potentiam confirmavit ac stabilivit, maturavit contra exitium Hispaniae, cui Ludovicus, ducta semel in matrimonium principissa Hispanica (1660), quaesiti magis, quam abdicati juris memor, nunquam amplius inhiare destitit, atque insidiari.

Gloriae pacificatione ista paratae non diu superstes Mazarinius fato concessit 9 Mart. a. 1661, pacatum domi forisque regnum, sed vacuum ac exhaustum aerarium Ludovico regi relinquens.

CAPUT LIII.

Imperii Hispanorum in Portugallia occasus; regnum Domui Bragantinae delatum; Belli cum Hispano et Batavis exitus.

Sexagesimus jam agebatur annus, ex quo Portugallia ditionis Hispanorum (1580) facta, amissum cum libertate pristinum decus suum flebat, injuriasque ferendo, graviores quotidie invitabat. Dolor atque indignatio omnibus, vis et animus ad resistendum aderat nemini: adeo oppressa dominatu Hispanorum cuncta torpebat respublica. Tum forte accidit, ut Catalauni onerum, quae plurima iis ac gravissima, Olivaresio Hispaniam gubernante, incubuerant, pertaesi, ab officio deficerent (1640), Gallorumque se fidei ac tutelae traderent. Per eam occasionem, Portugalliâ praesidiis nudatâ, populo novis semper tributis, ac longinquae militiae incommodis vexato, vehementiusque, ut fit, exacerbato: Archiepiscopus Lisbonensis Rodericus de Cunha, magni ac interriti vir animi, caritate patriae, ipsaque rei gerendae opportunitate, ad recuperandam libertatem excitatus, socios clam conquirit, his suum consilium ostendit, quod erat, ut pulsis Hispanis, regnum Johanni Bragantino deferretur, Catharinae, quae cum Philippo II.o de regni successione contenderat, nepoti, atque omnium Portugallici nominis longe potentissimo, quippe tertiam

fere regni totius partem jure haereditario tenenti. Illum diu incertum, tuta ac utilia dubiis ac speciosis praeponentem, uxor Ludovica Guzmanna, alti ac virilis foemina spiritus, quamvis aegre, induxit tandem, ut oblatam acciperet conditionem. Consilio utrinque probato, conjurati parva sed fida suorum manu a. 1640 ipsis Calendis Decembribus in palatium regium, distributis inter se partibus, faciunt impetum; Margaretham Sabaudam, quam consobrinam suam Philippus IV rectricem Portugalliae dederat, atque una simul Archiepiscopum Bracarensem (Braga in provincia Interamnensi) et Vasconcellosium, senatus praesidem, Portugallos ambos, sed Hispanicae dominationis, quam communis patriae libertatis amiciores, intercipiunt; Ducem Bragantinum, indito Johannis IV nomine, regem absentem pronuntiant, ad servandam ei fidem jurejurando populum volentem cupidumque obligant: exemplum ultro secutis universis civitatibus, provinciis, atque coloniis, ita ut Hispano praeter unam urbem Ceutam (in ora Africae maritima) nihil esset super. Sic unus dies, isque prope nullius nisi Vasconcellosii sangvine cruentus, finem regni Hispanorum in Portugallia, atque idem initium fecit Domus Bragantinae imperii. Magnum sane ac insigne rerum publicarum moderatoribus documentum: nullam esse diuturnam potentiam,

nisi benevolentia munitam. Anno insequenti, (Jan) habitis Ordinum comitiis, publica auctoritate regnum Johanni IV-o, familiaeque ejus confirmatum; multa, ad rem imprimis aerariam, sapienter instituta; perditissimorum civium conspiratio, sociis et adjutoribus Judaeis, ducibus atque auctoribus Archiepiscopo Bracarensi et Magno Inquisitore inita, in tempore repressa, exemplisque in praesens, in futurum legibus quies munita.

Bellum, quod ab Hispanis imminere nemini ea tempestate dubium fuit, spe omnium serius erupit, neque tum ea, qua par erat, contentione gestum, Hispaniâ triplici cum Gallis, Belgis, et Catalaunis proelio diu distractâ, simultatibusque insuper etiam cum Sveco et Anglo intercedentibus. Id saluti fuit Portugallis, non modo quod spatium interea colligendi sui, firmandarumque rerum nacti, sed quod liberi iidem et ab Hispanorum potestate immunes statim per Gallos, Belgas, Anglos item et Svecos agniti, atque hoc ipso, si nihil aliud, audentiores certe ad tuendam armis causam redditi sunt. Johannes IV-us totos 16 (1640—1656.) quos regnavit annos, arte contra vim usus, non tam ferro, quam auro pugnavit. Sub filio ejus Alphonso bellis tandem, Belgico Pace Westphalica, Gallico Pace Pyrenaea, finitis, Catalaunisque in ordinem utcunque redactis, cura majori domare

Portugalliam aggressi sunt Hispani: eventu tamen minus laeto; partim quia fractae bellis superioribus vires, partim etiam, quod Galli aemulatione ducti, contra disertam Pacis Pyrenaeae constitutionem, auxilia equitum peditumque laborantibus Portugallis misissent, ductu celeberrimi Schombergii: cujus hoc sufficiat afferre fortitudinis ac probitatis documentum, quod natus cum esset in Germania, ac religioni Reformatae addictus, nihilo tamen secius in Gallia, at quot, quantisque tum viris abundanti, ad supremi armorum Praefecti, vulgo *Mareschalli*, in Portugallia ad Ducis, ac ita dicti *Grand* dignitatem, atque fastigium sit virtute sua eluctatus. Idem serius, Edicto Nannetensi in Gallia revocato, in Borussiam, inde in Hollandiam, et cum Wilhelmo III-o in Angliam militatum profectus, tanta arte rei bellicae praefuit, ut delatos ei maximos honores, Ducalem titulum, locumque inter *Pares* Angliae, et Equites I. Ordinis S. Georgii, seu Periscelidis novo homini attributum qui invideret, inventus sit nemo. Caesus in Hibernia, dum senex octogenario major, inter primos pugnans audacius instaret hosti, in celeberrimo illo ad fl. Boyne proelio (1690), quo profligatae opes Jacobi, spesque penitus omnes absumptae. Atque hic tantus vir, ordinatâ etiam militiâ Portugallicâ nobilis, duobus maxime praeliis rem Hispanicam in Portugallia

afflixit, uno ad Extremos (1663), altero ad Villam-Vitiosam (1665), Provinciae Transtaganae (Alenteio) oppida. Super quas clades, post mortem Philippi IV-i brevi insecutam, bello Hispani etiam altero a Gallis in Belgio impetiti, neque eo prospere gesto, pacisci cum Portugallis, atque eosdem, cum omnibus intra et extra Europam sitis possessionibus, Imperio Hispanico penitus exemtos ac immunes palam profiteri coacti sunt a. 1668.

Praeter Hispanos, bellum Portugallis, sub initia libertatis suae, sustinendum fuit etiam cum Batavis seu Belgis. Cum his ita in principio conventum erat, ut quascunque Portugallorum in Asia et America ditiones Belgae, per occasionem belli Hispanici, ad eum diem occupassent, retinerent, ac ut suas dehinc Portugallis non invitis possiderent. Accidit interim, ut Brasilia, qua parte juris Hollandici facta, inclinatioribus in Portugallos, pristinos possessores suos animis, ad hos a Belgis deficeret. Bellum inde inter utramque gentem non in America tantum, sed in Asia quoque enatum, longius, quam atrocius, anno demum 1661 compositum in has leges, ut Hollandi Brasiliam Portugallis relinquerent, Portugalli vicissim Indiam Orientalem, paene totam, Goa tantum et Dio (Diu) exceptis, in potestatem venire paterentur Hollandiae.

Neutri bello supervixit Johannes IV-us mortuus a. 1656. Qui eum secutus, filiorum natu major Alphonsus VI-us, ad regnum juxta ac conjugium ineptus, factione uxoris et procerum, imperium a. 1667 abdicare, et fratri Petro, quem eundem maritum sibi turbarum fax regina jam tunc destinarat, cedere coactus est. Petrus II-dus, quamdiu vixit frater, vixit autem ad a. 1683, vicariam nonnisi potestatem, atque eam ipsam, potentia nobilium, per quos regnum adeptus, arctis admodum limitibus circumscriptam, habuit. Exin, regio auctus titulo, liberius aliquanto, nec sine laude rempublicam administravit ad a. 1706. Is Brasiliam diligentius excoli, viscera erui jussit ac investigari, primusque ibi auri fodinas reperit.

CAPUT LIV.

Forma Civitatis apud Belgas Foederatos, post mortem Wilhelmi II-di, mutata; Johannes de Witt caput ac moderator Reipublicae.

Henricum, qui rempublicam Batavam, magna gloria, civiumque gratia per 22 annos gubernarat, stabiliverat, coepto et tantum non perfecto pacis Westphalicae operi immortuum, a. 1647 secutus est filius Wilhelmus II-us, multum et patri et patruo Mauritio dissimilis. Quorum ille benevolentia, ac tranquilla imperii moderatione, hic metu ac terrore civi-

tatem libertati suae intentissimam, et domui Arausiacae, ob nimias opes, a principio minus aequam, in officio continuit. Contra ea Wilhelmus nec amatus, nec metuendus ulli, per imprudentiam, ac dominatus impotentiam, turbas cum sibi, tum reipublicae graves creavit, latentesque taciti odii scintillas in flammam prope ac incendium exsuscitavit. Id ita accidit. Pace cum Hispano parta, ad sublevandos sumptus, deminuendumque aes alienum, quod flagrante bello grande conflatum, partem exercitus potiorem dimitti provinciae, Hollandi vel maxime, volebant. Id Wilhelmus impedire omni modo conatus, postquam alia frustra tentata, sex e primoribus Ordinum Hollandiae, qui acerrime omnium adversabantur, comprehensos in vincula conjici jubet (Jun. a. 1650); hoc non contentus, principem ejus provinciae urbem Amstelodamum nocturnis primum insidiis petere, dein, cum id non successisset, vi ac impetu cogitabat capere: sed Amstelodamenses, Consulis sui Bickeri providentia, perfossis in re trepida aggeribus, aquarum inundatione periculum effugerunt. Re tandem ad pactionem deducta, consul Amstelodamensis loco motus, captivi proceres dimissi, ut tamen Principi quodammodo satisfieret, honoribus ac dignitatibus omnes privati. Non ita multo post Wilhelmus fatis (1650 6. Nov.) functus, periculum gra-

gravius ex ista nefors contentione oriturum antevertit ipse, at Ordines injuriam in filio ulti sunt: quem posthumum patri, octavo ab obitu die genitum, avita majorum dignitate exuunt, potestate inter *Status-Generales*, ac singularum Provinciarum Ordines ita divisa, ut Locumtenente, et Generali-Capitaneo, quod Principes Arausiaci conjunctum munus utrumque gesserant, opus reipublicae non esset; imo non ita multo post, per occasionem pacis cum Anglo initae (1654), lege etiam latâ de nullo unquam ejus familiae in Locumtenentem eligendo. Ab eo inde tempore princeps omnis consilii publici, ac moderator reipublicae Johannes de Witt. Qui viginti sex annorum, sed virili robore ac consilio juvenis, supremum in Hollandia Syndici fastigium adeptus, universam rem Belgicam, duobus decenniis (1653—1672) summa cum laude, non tam imperio quam auctoritate gubernavit. Multae illi ac graves interim inimicitiae cum Domus Arausiacae amicis ac fautoribus: qui a. 1662 eo rem perduxerunt, ut nuperum illud Edictum de Principibus Arausiacis ab imperio arcendis (Acte van seclusie) revocaretur. Contra hos sexto post anno tenuit Wittius, ut *Edictum* vulgo *Perpetuum* (1667 21 Dec.) conderetur, quo cautum non modo, ne quem ullo unquam tempore Locumtenentem sibi Ordines Hollan-

diae crearent, sed etiam, ne quis unquam reliquarum provinciarum Locumtenens, Generalis Capitanei nomen ac potestatem, assentientibus Hollandis, obtineret. Quae ne temere lex aut violata pereat, aut non observata intercidat, novum magistratibus jusjurandum, nunquam ab ea recessuros, injunctum. Cujus jurisjurandi nemini ne Wilhelmo quidem III-o, Wilhelmi II-i filio, gratia facta, si capessere rempublicam, ac magistratus gerere vellet. Sed legem, ante evolutum quinquennium, irritam reddidit ac evertit cum auctore, subita Ludovici XIV-i in Belgium irruptio, et hinc ortum in populo, culpam lubenter a rebus ad personas transferente, novandarum rerum desiderium. De quo suo loco pluribus. Foris bellum cum Cromwello et cum Portugallis; quo successu, quove eventu? dictum supra. Bello qnoque navali (1658) cum Svecis impliciti, territi ruina rebus Danicis, et inde suis etiam mari Baltico per Carolum X-um bellicosum Sveciae regem intentatâ. In eo bello classe Svecica in Freto Danico superatâ, et regia civitate Havniâ discrimini ereptâ, servatae ab interitu Daniae gloriam jure suo sibi vindicarunt. Posthaec, facem subdentibus Gallis, redintegrato cum Anglis certamine (1664), inustam Cromwelli tempore eluunt maculam, post multas ultro citroque et illatas et acceptas clades, duce

et auspice magno illo Ryitero facinus ingens ac periculi plenum — adversa Tamesi navibus subvehi, et exscensione ad Chattamum facta, classem Anglicam, inspectantibus prope civibus Londinensibus, exurere — ausi 8. Jun. 1667. Quo factum est, ut Angli pacem attoniti peterent, quae, Sveco intercessore, coaluit Bredae 31. Jul. 1667, gloriosa Belgis: quippe super quaesitum Surinami in America Merid. imperium, Edicto etiam Navigationis in gratiam eorum, parte ex aliqua lenito ac temperato. Insequenti anno, auctore potissimum Wittio, *Foedus triplex* inter Angliam Sveciam et Hollandiam initum, quo necessitas Ludovico XIV-o paciscendi cum Hispanis imposita. Atque haec prima mali labes Wittio, in cujus caput mox fluctus omnes, per eum a communi peste depulsi, redundarunt.

Aetas. IV. 1661—1700.

Considerationes Generales.

Aetas clara laetissimis rerum Gallicarum sub Ludovico XIV-o domi forisque incrementis, Ludoviceum vulgo seculum (Le siecle de Louis XIV.) dici solita. Durante ea, servitutem a Gallia reliquae Europae partim exhaustae, partim civilibus discordiis agitatae non semel impendentem, virtus potissimum Wilhelmi III-ii, Belgicarum, mox et Anglicarum rerum supremi moderatoris avertit.

Ab hoc imprimis tempore solenne Principibus: legatos promiscue apud exteras gentes habere; militiam stabilem ac perpetuam (ordinariam rectius dixeris) ad quemvis impetum belli paratam alere. Quod cum immensos utrumque sumptus requireret, nihil mirum, omnem dehinc Statuum Europaeorum curam, ad amplificandum aerarium, et opes commercio, navali maxime, parandas conversam, bellis quoque alium finem, non, ut ante, religionem, sed commerciorum emolumenta ac utilitates, praestitutum esse.

CAPUT LV.

Ludovicus XIV., morte Mazarinii, ipse gubernare rempublicam aggressus; ejus ingenium, exordia regni auspicatissima, Colberto maximam partem debita; prima cum Pontifice et Hispanis jurgia; allegatum ab eo Jus Devolutionis; rapidi armorum in Belgio Hispanico progressus; sed mox retardati Foedere Triplici; necessitas inde pacis cum Hispano Aquisgrani ineundae.

Morte Mazarinii (Mart. 1661) Ludovicus XIV. regnum ipse capessivit, juvenis nondum 23 annorum, ad maxima quaeque natus, ingenii vigore, animi et cogitationum magnitudine, nulli aequalium secundus, forma ac majestate corporis omnium excellentissimus: sed prava educatione, inter blanditias muliebres, et aulicorum pestiferas assentationes, mature corruptus, libidinosus, arrogans ut nemo magis,

ad dominatum et sui ostentationem propensissimus. Vel sic tamen laudandus, et, quamquam diffitendum non sit, partem magnam gloriae, qua regnante eo Francicum omne nomen illustratum, felicitati cuidam temporum ac fortunae deberi, Gallis merito magnificiendus ob praeclarum in gentem suam studium, ob indefessam in tuenda et augenda publica re diligentiam, ob literarum artiumque liberalium amorem ac tantam admirationem, ut provehendis earum studiis nulli impensae parceret, viros ingenio et doctrina praestantes domi militiaeque perpetuo secum haberet. Initio regni laeto admodum usus est, nactus ministrum praestantissimum Joh. Bapt. Colbertum. Qui morientis Mazarinii commendatione rei aerariae a Ludovico praefectus (1661—1683), magni quondam antecessoris sui Sullii vestigiis insistens, aerarium bellis, aulaeque luxu, et Mazarinii aviditate collapsum, incredibili diligentia ac successu instauravit, opesque regno ingentes, vicinis graves ac periculosas comparavit: et hoc partim parsimonia, redactaque in ordinem pecuniae publicae administratione, partim et potissimum novis opum publicarum adapertis fontibus, excitatis nominatim artium aut parum solerter aut plane non ante exercitarum studiis, novisque opificiorum officinis (fabricis ac manufacturis), quibus so-

li fere antea dediti Angli et Hollandi tributariam sibi Galliam, reliquamque omnem Europam reddiderant, institutis. Proxima inde cura commercii fuit. Cui promovendo, domestica primum impedimenta, viarum difficultates, ponderum ac mensurarum inaequalitas, usitata inter provincias Gallicas mutua vectigalia, et plura ejus generis, remota; deinde, exemplo Anglorum et Belgarum, *societates mercatorum*, quas *Privilegiarias* vocant, ut Indiae Orientalis et Indiae Occid. utraque a. 1664, erectae; coloniae in Indiam utramque, in Americam Septentrionalem (Canadam), in Madagascariam Africae, et Cayennam Americae Meridionalis insulas partim novae deductae, partim, quae privatis antea paruissent, soluto pretio in publicum redactae, majorique deinceps cura administrari coeptae; Oceanus Atlanticus mari Mediterraneo junctus, nobili illo ac operoso canali, qui nomen a Languedocia habet, et 60 milliaria Gallica longus, 13 amplius libr. Gall. millionibus constitit; Dunquerca ab Anglis redemta, et cum Massilia navibus cunctarum gentium patere jussa; naves, magistris Hollandis, nova arte aedificatae; portus servandae classi, fabricandisque navibus idonei constructi; innumeraque alia indefesso viri magni labore salutaria reipublicae instituta, quae singula non recipit enarranda hic scripturae modus.

Agriculturae tamen, quâ, nisi forte renitatur natura, nullum rebus publicis nec certius nec tutius ad parandas opes praesidium, non videtur eam, quam debebat, poteratque, habuisse curam: quamquam neque id negari potest, deminutione tributorum ac onerum publicorum, eo auctore facta, multum quoque exercendae honestissimae artis illius superiorum temporum levatas fuisse molestias. Populo hunc in modum ditato, reditu regni annuo ad 116 milliones completo, pecuniae, quantum nunquam antea, reipublicae domi forisque vel communiendae vel ornandae insumptum. Ordinaria militia, ducentorum pace, bello trecentorum millium, condita; limites validis munimentis firmati, operâ praesertim Vaubani Mareschalli, cui parem architectum non vidit Gallia; revisio legum nova instituta, emendatusque Codex Ludovicianus editus (1667); viri eruditi, etiam exterarum nationum multi, super habitos eis publice honores, donis ac muneribus culti; variae eruditorum secietates ac collegia, vulgo *Academiae*, in his nominatim: *Academia Inscriptionum* (1663) ad investigandas ac colligendas veterum elegantias, hasque in artificum recentiorum usus accommodandas; *Academia Scientiarum* (1666) ad excolendam imprimis Physicam et Mathesin; pluresque praeterea aliae singulis artium amoeniorum generibus,

ut picturae, sculpturae, architecturae, et musicae, sensim perficiendis, serius institutae. Quarum rerum omnium laudem Colberto vel imprimis deberi, inde facillimum judicatu est, quod eo (1683) defuncto, multum statim pristini vigoris ac decoris decessisse reipublicae, opesque dehinc non auctas, sed deminutas in dies deprehendamus. Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris quam reliquos omnes fuisse. Interim laus etiam Ludovico regi, nec ea parva habenda, quod a tali viro tamdiu se regnumque suum gubernari passus sit.

Recreatarum cura Colberti virium regni conscius Rex, ad haec aetatis quoque, et avitae stimulis agitatus gloriae, nullam cum Statibus exteris defugit occasionem pugnandi. Primum fidentis sibi, et in universam mox Europam grassaturi Viri documentum fuit, certamen cum Pontifice, ob violatam Romae legati sui Crequii dignitatem, susceptum anno 1662. Cui componendo coactus est Pontifex Alex. VII-us amplissima legatione Parisios missa iram regis publice deprecari, Corsicum omne nomen, quod a Corsis satellitibus injuria profecta esset, a gerendis imposterum muneribus arcere, denique statuam, ignominiae, et eam secutae satisfactionis sine exemplo, aeternum monumentum futuram Romae ponere. Paulo ante fortiter aeque suorum prae legatis Hispanis apud exteras gentes principa-

tum vindicavit, occasione contentionis, inter ambarum nationum legatos Londini, in publico legati Svecici (Ambassadeur, Botschafter) ingressu, de ordine, in rhedarum processu, servando exortae.

Anno 1665 decedens e vita Philippus IV-us Hispaniae rex, novi et gravioris aliquanto certaminis materiam genero Ludovico praebuit. Res, ut clarior evadat, paulo altius repetenda videtur. Anno 1598·o Philippus II-us Belgium, iis quibus supra dictum conditionibus, filiae Isabellae doti dederat. Illa a. 1633 improli mortua, Belgium, cujus nomen ipsa non imperium ad eum diem tenuerat, recidit in potestatem Philippi IV-i, qui duas succedente tempore uxores habuit, unam *Elisabetham* Henrici IV-i filiam (mort. 1644), ex qua Ludovici XIV-i nata uxor, alteram, ex qua duo infantes liberi, Carolus et Margaretha relicti, *Annam* Ferdinandi II-i Imperatoris filiam. Lex autem erat in Brabantia, legi nomen *Jus Devolutionis*, quae inter proles e diversis matrimoniis ab uno patre genitas, hanc paternorum bonorum fieri divisionem imperabat, ut quas durante quoque matrimonio pater possessiones quocunque modo acquisivisset, has proles ex eo matrimonio (in quo quaesita patri bona) susceptae obtinerent, reliquis, etiamsi mares hae, foeminae illae essent, exclusis. Sed, praeterquam quod lex ista nec

per universum Belgium, nec nisi inter privatos valebat: Ludovicus XIV-us, ante celebratas cum Principissa Hispanica nuptias, non Hispaniae tantum, sed provinciarum quoque ad eam pertinentium omnium successionem omnem solenni jurejurando abdicarat. Insperantibus igitur cunctis accidit, ut Ludovicus, morte soceri sui, Hispano-Belgium totum sibi *jure devolutionis* tradi postularet. Re diu ultro citroque scriptis et verbis disputata, cum vincerent jure Hispani, Ludovicus fidens viribus, ab armis petere praesidium, et fortunam judicem ac arbitram controversiae sumere decrevit. In Flandria factum initium belli anno 1667. Dux expeditionis ipse Ludovicus; belli totius, ac consilii publici moderator Turennius, quem praeceptorem sibi ac magistrum artis militaris rex eo bello delegerat. Ibi Hispanis ad resistendum imparatis, arcibus, quae munitissimae erant, fide citius, certamine haud memorabili, receptis, Bruxellas usque continenti agmine penetratum. Super quae anno insequenti Comitatus etiam Burgundiae (Franche-Comté), rapidi instar torrentis inundatus a Condeo, media hieme minus 60 diebus ereptus Hispanis, et Gallicum subire jugum coactus. Jamque prope erat, ut Ludovicus voto potiretur, cum ecce Hollandi nimias opes viciniamque veriti Galliae, ad retardandum ejus impetum, defendandamque communibus

armis Belgicam, foedus, cui *Triplici* nomen, cum Anglis et Svecis ineunt (23-a Jun. 1668), necessitatemque non multo post Ludovico paciscendi cum Hispanis imponunt Aquisgrani (Aix, Aachen) mense Maio 1668. Qua pace restitutus Hispanis Comitatus Burgundiae; Gallis victoribus relictae 12 arces Belgicae (Charleroi, Binch, Ath, Douai, le fort de Scarpe (munimentum ad Scarpim fluv.), Lille, Tournay, Oudenarde, Armentieres, Courtrai, Bergues, Furnes) flagrante bello ditionis eorum factae.

CAPUT LVI.

Ludovici XIV-i in Belgas Foederatos odium, vindicta; summa rerum extremo in discrimine Gvilielmo III-o tradita, salusque inde reipublicae quaesita. Funestus fratrum Wittiorum casus. Armorum inter Status Europaeos contra Ludovicum juncta societas; certaminis eventus. Pax Neomagensis, et ad Fanum S. Germani.

Ludovicus XIV non ignarus, Hollandis potissimum auctoribus initam adversus se Foederis Triplicis societatem, his amissam pace Aquisgranensi partem praedae imputabat. Irarum haec causa, hinc vindicandae bello injuriae cupido. Periculum, ut incautos facilius opprimeret, clam apparabat. Ante omnia irritum foedus triplex reddidit: Anglis foedere occulto sibi adjunctis; Svecis, ut neutrarum bello partium esse vellent, callide inductis. Ad par-

tes deinde suas pertrahit Archiepiscopum Coloniensem, et Galenium Episcopum Monasteriensem, virum bellicosum ac turbulentissimum, cui acres et continuae cum Hollandis inimicitiae. Omnibus ad certamen praeparatis, bellum foederati terra marique a. 1672 Belgis inferunt, qui, praeter unum Electorem Brandenburgicum, socium ac foederatum habebant neminem, et super factionum studia terrestris quoque militiae neglectu laborabant. Ira belli versa primum in urbes Electoris Brand. Rhenanas (in Clivia) Belgarum praesidiis munitas; inde Rheno 2-a Junii sine periculo, non tamen sine gloria, prope Schenkium in Geldria trajecto, in viscera reipublicae itum, tanta celeritate, ut, quod fidem vix inveniat, sesquimensis spatio, Cliviam, Geldriam, Ultrajectum, Transisalanam, cum parte bona Groningae et Hollandiae, hostes occuparint, sub ipsius Ludovici auspiciis, ductu maximorum virorum Turennii et Condei, et non indigni amborum aemuli Ducis Luxemburgici (Fr. H. Montmorenci duc de Luxembourg). Quorum si consilia sequi Rex, et Amstelodamum, unde quatuor non amplius horarum intervallo aberat, citato gradu contendere voluisset, sunt, qui urbem florentissimam sine gravi negotio capi, omnemque cum ea rempublicam everti potuisse existiment: adeo consternatis omnibus, ut de fuga in Indiam communiter cogi-

tatum, jamque navium ad eum finem institutam recensionem legamus. Sed salubri consilio intercessit Marchio Louvois (Le Tellier, Marquis de Louvois), qui rei bellicae praefectus (Minister belli ab a. 1666—1691) juvenilem Ludovici animum juvenis ipse mire ceperat, summamque multis et magnis quaesitam meritis, sed arrogantia demum amissam auctoritetem apud regem habebat. Cujus quum vicisset sententia, et rex morandi tantisper, dum praesidiis arces occupatas communiret, tempus sibi sumsisset, neque ita multo post, cum praesentem hortatoremque operis adesse eum maxime convenerat, domum ab exercitu ad agendos triumphos, excipiendasque suorum gratulationes reversus esset: Hollandi, spatio interim ad respirandum dato, rempublicam periculo eripiunt. Ea laus propria est Gvilielmi III-ii. Hunc, militiae jam a 25-a Febr. supremum Moderatorem (Generalem Capitaneum), crescente discrimine, populus, culpam rei male gestae Magistratibus tribuens, praefici sibi tumultuose flagitabat. Illi adversari non ausi postulata faciunt, et Gvilielmum die 3-a Julii 1672, abrogata prius lege, qua facere id prohibebantur, (Edict. Perpet. 1667) *Locumtenentem* pronuntiant. Id intuens Joh. Wittius, cedendum tempori ac invidiae ratus, sponte se gubernatione reipublicae abdicat. Neque tamen eo magis impendentem effugit tempesta-

tem: postquam fictis criminibus non potuisset, per vim, medio sole, concitatae multitudinis impetu, Hagae Comitum, 20 a Aug. 1672 oppressus, et diris modis obtruncatus una cum fratre Cornelio, Consule Dordraceno, excellentis aeque animi et ingenii viro, ac de patria sua, belli maxime artibus, optime merito, sed qui eadem, qua frater, invidiae flamma flagraret, proditae hostibus reipublicae, initaeque clam ad interficiendum Gvilielmum III-um conjurationis falso insimulatus. Hunc exitum habuere viri praestantissimi et sanctissimi, patriae suae ornamentum, vicissitudinis rerum humanarum, et popularis inconstantiae triste exemplum, furore populi ejusdem, cujus gratia in altum ascenderant, de summo repente fastigio praecipitati, et ab iis ipsis, a quibus minime meruerant, cupidius fere profanati, quam culti antea, ac pene ut ita dicam adorati erant. Ira vulgi, haustu nobilissimi ac innoxii sangvinis, satiata, turbisque paulatim conquiescentibus, cum hostes nihilominus instarent victis, ac petentibus pacem, conditiones, reipublicae quidem gravissimas, at Gvilielmo tamen ipsi, regis utpote Angliae sorore genito, longe ad speciem amplissimas privatim offerrent; et Belgarum plerique, graviora veriti, parendum necessitati, subeundamque ignominiam censerent, Gvilielmus solus fere, ne pax foeda confieret, obstitit, et ado-

lescens nondum 22 annorum, dubiam spem armorum tentare, ac, si res ita tulerit, cum republica simul interire, quam alieno beneficio regnare maluit. Neque constantiam felix successus destituit, universo mox populo, primum in admirationem tam praeclarae, tam maturae, in ista adolescentia, virtutis, deinde et in aemulationem accenso. Jam Amstelodamum, aquis in Canales inductis, et tota regione inundata, discrimini ereptum, retardatusque ab ea parte erat hostium impetus; brevi Monasteriensis quoque, Groningae infestus dudum imminens, post acrem 40 circiter dierum obsidionem, turpiter ab ea rejectus; Covordia (Coewerden in Transis.) sub finem anni (1672) recuperata; Luxemburgicus, per gelu rigentes aquas in Hollandiam audacter penetrans, retrocedere soluta glacie coactus. Mari felicius etiam pugnatum, classe hostili, quae ingens ac formidabilis ex ambarum nationum navibus coaluerat, quatuor atrocissimis proeliis navalibus superatâ, et a litoribus Hollandiae repulsâ (1672—73) ductu ac virtute invictissimorum mari imperatorum Ryiteri, et Trompii junioris. Interim non segne ministerium Gvilielmi etiam in ope ac amicitia Exterorum periclitanti reipublicae adjungenda. Primi omnium Hispani, nondum apertis cum Gallo inimicitiis, clandestina mittunt auxilia extremo anne 1672. Anno insequenti Brandenburgicus,

resistendo solus impar, ut amissas ad Rhenum recuperaret arces, facere quidem inducias (1673 Jun.) a Turennio coactus; et, quo majus infortunium esset, arcium Belgicarum munitissima, Trajectus ad Mosam (Mastricht), in potestatem hostium (1 Jul.) per id tempus redacta: sed paulo post, opera et auctoritate Gvilielmi III, Gallorumque ex Alsatia in Palatinatum et Franconiam irruptione, ac in dies crescente insolentia factum, ut foederis contra Gallos societatem cum Belgis palam inirent (30 Aug. 1673) Hispanus, Imperator Leopoldus, et Dux Lotharingiae Carolus IV, regno per Ludovicnm nuper (1669) spoliatus. Foederi paulatim accessere Elector Brandenburgiae, Danus, ipsumque Imperium Germanicum. Exinde res Belgica magnis passibus in melius mutari, praesidia Gallica, quae urbibus Belgicis incubabant, exeunte anno deduci, atque universi moles belli in Belgium Hispanicum, regionesque Rhenanas coepit converti. Anno insequenti 1674, in praemium liberatae ab hostibus patriae, Gvilielmo III munus Locumtenentiale haereditarium in stirpe mascula ab Hollandis et Zelandis (2 Febr.), Ultrajectinis item, Geldris et Transisalanis (20 Apr. 1674) delatum, potestate aliquanto majori, quam quanta antecessoribus erat attributa. Secuta pax cum Anglis, qui bellum, ut rationibus suis contrarium, et se

invi-

invitis susceptum, aversati, regi suo, denegatis stipendiis, necessitatem finiendi ejus (19 Febr. 1674) imponunt. Brevi post, Praesulibus quoque Germanis, Monasteriensi (Apr.) et Coloniensi (Mai.), exemplo Anglorum, reconciliatis, soli repentino relicti, neque tamen ideo superati sunt Galli. In Belgica, proelio, quo nullum eo bello sive bellantium fortitudine, sive ducum arte memorabilius, ad Seneffiam vicum Brabantiae, inter Condeum et Gvilielmum III (11 Aug. 1674) commisso, cum incredibili ad multam noctem ardore pugnatum, et hominum millia 24 caesa fuissent, aequo Marte discessum. Pars utraque preces Deo ac supplicationes pro victoria habuit; Condeus tamen pugnae locum tenuit. In Germania Turennius, quod virium exercitui deerat, arte et industria compensans, foederatos Germanos discordes inter se, ac Electori Brandenburgiae, dicto non audientes, quater (Jun. 1674 — Jan. 1675) pugna gravi in Alsatia et Palatinatu (quem foede non sua sponte diripuit) victos, redire ultra Rhenum, et a Brisaci obsidione recedere cogit. Contra Hispanos felicius etiam res gesta a Gallis, Comitatu Burgundiae subacto, et parte Siciliae, quae obsequium Hispano renuntiavit, in fidem ac deditionem accepta. Crevere animi Gallis victoribus, postquam Sveci, icto cum iis foedere, et irruptione in Marchiam Bran-

denburgicam facta, Electorem ad proprias tutandas possessiones reverti a. 1675 coegissent. Magno quidem malo suo. Victi enim ab Electore ad Fehrbellinum (28 Junii 1675) non terras modo hostium occupatas, sed suas quoqne in Pomerania, omnem praeterea superiorum temporum gloriam uno proelio amiserunt. Bellum iisdem grave terra et mari indictum a Danis, Hollandis, Imperatore, et reliquis foederis ejusdem sociis; cui sustinendo impares, aegre exitium, adjuvantibus Gallis, effugerunt. Interim major alia Gallo ad Rhenum accepta calamitas. Ibi dignus nunc demum Turennio oppositus ab Imperatore adversarius Montecuculius, clarus rerum militarium, et ducendorum exercituum scientia, cum duos integros menses callidissimi ducis Galli industriam, atque solertiam pari arte fatigasset, hic tempus tandem praelii opportuno loco committendi ratus invenisse, prope Sasbachum, non procul Argentorato, dum hostium speculatur, suorumque instruit aciem, ictu tormenti exanimatus occubuit 27-a Julii 1675, suis non magis, quam hosti, ob tot raras in uno homine virtutes, ploratus. Neque Condeus, qui Turennio suffectus, diu exercitui praefuit, ingravescente podagrae morbo, deserere castra a. 1676, et in Tusculanum suum Chantilliam secedere coactus. Quo facto retardatus paululum in Germania armo-

rum Gallicorum progressus, Philipsburgum ab Imperatoriis expugnatum. In Belgio superiores Galli, arces Hispanorum munitissimas in deditionem compellunt, Gvilielmum III ad Trajectum Mosae recuperandum totis viribus conversum solvere obsidionem cogunt. Mari ter eodem anno de possessione Siciliae pugnatum, quam Hispani ope Belgarum recipere sunt aggressi. In secundo conflictu (22 Apr. 1676) Ryiterum, navalis belli peritia omnium seculi sui clarissimum, optimumque virum, lethali vulnere affectum, paucis post diebus abstulit mors Syracusis. Obitu ejus invicti antea Hollandi, tertium congressi cum celeberrimo illo classis Gallicae praefecto, ac restauratore Du Qvesne, victi ab hoc (2 Jun.) ac penitus fere cum Hispanis simul una confecti, victoribus Gallis Siciliam reliquerunt, ab iis ipsis tamen non multo post ultro destitutam, cum alienatos immodestia sua animos civium cernerent. Insequenti biennio non tam acie directa, quam oppugnationibus, eruptionibusque certatum: qua pugnandi arte excellentes Galli Friburgum Germanis; Valencenas, Cameracum, Condatum (Condé) Hannoniae; Fanum S. Audomari (St. Omer) Artesiae; Gandavum, Ypram Flandriae civitates Hispanis eripiunt.

Fessis interim bello partibus, colloquia de componendo eo habita. Quae Coloniae

primum, sed irrito conatu, Svecis intercessoribus, a. 1673 coepta, deinde intercurrentibus Anglis, Neomagi (Nimwegen Geldriae) 1676 resumpta, optatam orbi pacem reddiderunt. Eam Ludovicus, ut erat ad rem suam callidus, non cum universis simul hostibus, sed separatim cum singulis conciliavit, ac

1. Cum Belgis Foederatis 10-a Aug. 1678 ea lege, ut quidquid eo bello amisissent, etiam Trajectum ad Mosam, cum omnibus commerciorum ante bellum emolumentis recuperarent. Gvilielmus III-us se invito, ac in castris absente proditam a civibus suis communem foederatorum *Statuum* causam adeo indignabatur, ut, cum redditae ei literae essent, quibus confectae sed nondum promulgatae pacis nuntium afferri non dubitabat, resignatione literarum, quo pacti foederis inscius videri posset, sponte dilata, Gallos improviso adortus sit prope Montes Hannoniae (Bergen, Gallis Bergues) 14-a Aug. 1678, pacem, si posset, hoc modo interturbaturus: sed temerarium consilium irritum victoria Luxemburgici reddidit.

2. Cum Hispanis 17-a Sept. 1678. Quibus restitutae pleraeque arces Belgicae, Pace Aquisgranensi (1668) nuper iis ademtae, in his nominatim Caroloregium, Binchium, Athum, Aldenarda, Mons (Bergen), Cortracum, cum urbe Cataloniae Puycerda; sed multo plura amissa, Comitatus quippe Burgundiae totus,

et pars maxima Belgicarum urbium, quas flagrante bello Galli occuparant, ad sedecim numero, in his Valenciennes, Condé, Cambrai, Bouchain, Bavay, Maubeuge, St. Omer, Cassel.

3. Cum Imperatore Leopoldo I-o et Imperio Germanico 5-a Febr. 1679 hac lege, ut Galli Friburgum retinerent, Philipsburgum Germaniae relinquerent. Conventum quoque erat de Lotharingia Carolo V-o Lotharingico (qui eam morte patrui sui Caroli IV (1675) sibi deberi contendebat) permittenda, sed duris adeo sub conditionibus, ut generosi vir spiritus (avus Francisci I-i Imperatoris, belli Turcici gloria inclitissimus heros, vid. Cap. LXII.) poscere avitam haereditatem, quam isto pacto tenere maluerit. Quo facto Lotharingia Galliae ulterius quoque mansit adjuncta.

Dani et Brandenburgicus, felicissime usque bellum contra Svecos prosecuti, a pace alieniores, aegre adduci potuerunt, ut victores cuncta victis, quae una a Gallis ferebatur conditio, redderent: cum tamen Ludovicus socios Svecos in periculo non deseri ad fidem suam ratus pertinere, bellum utrisque denuntiasset, Westphalicasque eorum possessiones invasisset: prior Brandenburgicus ad Fanum S. Germani (St. Germain) 29-a Junii 1679, non multo post etiam Danus, hostibus suis Gallis et Svecis reconciliati. Ex foedere, Danus tanto labore ac sangvine parta omnia Sveco resti-

tuit; Brandenburgico, super quaesitam bello nominis gloriam, viriumque opinionem in Europa non vulgarem, quatuor urbes Svecorum Pomeranicae, et 800 thalerorum millia, fructus victoriarum qualescunque fuere.

CAPUT LVII.

Ludovici XIV-i post pacem Neomagensem cum opibus crescens habendi ac dominandi cupido. Camerae Reunionis. Induciae Vicennales. Bello repetita vindicta de Genuensibus, et praedonibus Africanis. Mors Colberti. Edicti Nannetensis revocatio. Graves ac repetitae cum Innocentio XI-o contentiones de Jure Regaliae et Asyli.

Ludovicus XIV-us, crescente cum opibus, ut fieri plerumque solet, habendi cupidine, post Pacem Neomagensem Gallico nomini adeo gloriosam, ac utilem, plura in dies ac majora coepit affectare, Rhenoque visus velle terminari imperium. Ejus rei nullum certius indicium, quam *Camerae Reunionis*, anno statim post pacem Neomagensem altero (1680) Vesontione (Besançon in Burgundiae Comit.), Metis, Brisaci, et Tornaci (Tournai, Dornick in Flandria) per eundem hoc consilio institutae: ut urbium, et regionum Belgicarum, Germanicarumque, tribus proximis Pacificationibus, Westphalica, Aquisgranensi, et Neomagensi, quaesitarum *dependentias*, seu terras ab iis dependentes, Galliae itidem ex pacto debitas, sed nominatim in commemoratis foederibus

non expressas, nec ab eo tempore, quae, aut quales illae essent, communi Principum consensu determinatas, regionibus *reunirent*, seu iterum adjungerent, ad quas (juris jam nunc Gallici) olim pertinuerant. Ita, quam disceptatoribus reliquis *Statibus*, mutuo partium consensu, diremtam oportebat, Ludovicus, actor idem et judex, proprio arbitratu, litem diremit, idque tanta cum immodestia, ut non Imperiales tantum, liberasque hucdum Alsatiae urbes decem, in his Argentoratum (Strassburg), sed Ducatum quoque Bipontinum a Svecis, veteribus amicis ac sociis possessum, multasque insuper Germaniae Ordinum terras, nulli antea controversiae obnoxias, sibi decreto *Camerarum* suarum adjudicatas, armis protinus occuparit. Ad eundem modum fictis causis per vim ereptus Hispano Ducatus Luxemburgicus. Imo reperta species etiam Flandriae, qua parte regi Hispanorum parebat, bello invadendae. Territi ea re Imperator, Hispanus, Svecus, et Hollandi, foedus inter se, ad pacis Neomagensis, mutuamque sui defensionem, ineunt Hagae 6 Febr. 1683: sed adjuncta rerum, Turcarum maxime Germaniam, ipsamque Viennam obsidentium metus, et Caroli II-i Angliae regis propensissima in Ludovicum voluntas fecere, ut foederatis Statibus nihil ultra moliri ausis, Galli loca post pacem Neomagensem occupata (Reunita) pleraque, in his Argento-

ratum, et Luxemburgum retinerent, decreto *Induciarum Vicennalium*, quae Batavis intercessoribus, inter Galliam, Hispaniam, Imperatorem et Imperium Germanicum Ratisbonae 15-a Aug. 1684 conciliatae sunt.

Ambitionem ac iram Ludovici eodem tempore experta etiam *Genua*, cognominis reipublicae (vet Liguriae) metropolis, quod bello superiori naves suas classi Hispanicae adjunxisset, injectis ignibus (1684) pene tota in cineres redacta, et, omni nequicquam promta virtute, gravioris periculi metu, latas ab hoste superbissimo foedas conditiones, atque in his illam omnium inhumanissimam accipere coacta, ut Principem Senatus (Doge, Dux), cui pedem extra urbem proferre, publica civitatis lege vetitum, cum quatuor Senatoribus Parisios ad deprecandam Regis iram mitteret.

Gravem aeque, sed aliquanto justiorem Ludovicus vindictam repetiit de *Praedonibus Africanis*. Qui cum intutum, Piraticam exercendo, mare Mediterraneum reddidissent, Ludovicus, classe adornata, munitissimas eorum arces, latrociniorum receptacula, Algiriam (1682—1683), et Tripolim (1685) bellicis tormentis conquassatas, ruina et incendio involvit, prohibuitque in posterum Gallicarum navium spoliis res suas augere. Arma versa etiam in Tunetanos, sed illi, primo ingruentis perieuli terrore, victos se fassi, et quas

Galli vellent imponi sibi leges passi, ignem ac vastitatem tectis agrisque arcuerunt.

Mortuo interim Colberto (1683), cujus unius maxime opera ac virtute tantum et partum repente, et tamdiu conservatum imperium, inclinari illico res et retro ferri coepere: regis in regnando libidine omnem dehinc modum excedente, gubernationeque reipublicae in manus adolescentium ac imperitorum hominum, quos non sua virtus, sed regis et Maintenoniae *) provexit favor, derivata. Inter plagas, quae mortem Colberti secutae, nulla aeque ac *Edicti Nannatensis* revocatio, rempublicam afflixit. Id homines fanatici ac religioni Reformatae infensi pridem moliti, unius hucdum Colberti auctoritate atque intercessione ab exsequendo atrocissimo consilio avocati sunt. Decedente magno viro, qui solus impendentem inde reipublicae gravem ruinam praeviderat, totis statim viribus adversarii in Protestantes coorti, dolo ac fraude regem cir-

*) Quae Scarroni, elegantia ingenii non magis, quam corporis deformitate nobilis poëtae vidua, quod aliae juvenes in flore aetatis non poterant, ingruente jam senectute, sic animum regis callida sui ad ingenium ejus accommodatione ceperat, ut consvetudinem dies non dissolverit, sed confirmaverit potius, et vir 47 nonnisi annos natus, adhaec ardentis animi, et in amoribus inconstans, mulierem quinquagenariam, quo conjunctius cum ea vivere posset, uxorem sibi secreto duxerit (1685), defunctâ non multo ante (1683) priori uxore Mariâ Hispanicâ.

cumveniunt, eique persvadent: nihil nec regi privatim gloriosius, nec reipublicae salutarius futurum, quam religionem unam, quae sola vera sit, per universum regnum florere: id autem facile effici posse, numero Protestantium, tot superiorum temporum bellis civilibus ad paucos redacto, et eorum ipsorum, qui superessent, exstincto penitus ardore, postquam, arcibus, quas potentiae olim praesidia habuerant, virtute Richelii ereptis, non lucri modo ex tumultu ac certamine capiendi, sed ipsam quoque impunitatis spem ademptam sibi intelligant. Ostendi igitur solum, non geri bellum debere, jam omnes obsequio erga regem certaturos inter se, et ad sacra Romana, desertis suis, transituros. Tali modo deceptus Rex, fidissimos civium Protestantes, et de regnatrice Domo Borbonia, cui regnum forti dextera pararunt, optime meritos, exstirpare innocuos ac immerentes decrevit. Quare, postquam modis omnibus misere diu vexati, ab honoribus et republica arciti essent, tandem a. 1685-o ejurare omnes religionem suam jussi, proposito per regem edicto: quo non Edictum modo Nannetense, quod in gratiam eorum a. 1598 Henricus IV-us grata mente condiderat, revocatum; sed cultus Dei etiam privatus, apud aedes proprias interdictus; scholarum et templorum destructio imperata; Verbi Divini Ministris, si in fide ac officio per-

starent, poena exsilii dictata. Cumque acerbitas ista imperii, contra spem, non fregisset, sed irritasset magis animos, obstinatioresque, ut fit, ad detestandam religionem, ad quam adeo inhumane adacti, reddidisset: immisso insolentissimo milite, nullum genus calamitatis contumeliaeque non editum in immorigeros, vastati agri, expilatae ac exinanitae domus, ipsi ad altaria R. Catholicorum, plus quam barbara crudelitate raptati, et facere perjurium coacti, aut in carceres pro sceleratis compacti, liberi parentibus per vim erepti, sacri Codices combusti, interpretes eorum, defensores aut occultatores Ministri exquisitis cruciatibus enecti, et, quod miserrimum omnium, ne fugere quidem perosis atque exsecrantibus patriam licitum, armatis per confinia provinciarum dispositis custodibus, qui vias evadendi omnes ac fugam exagitatis occluderent. Neque tamen eo secius ingens e regno variis artibus elapsa multitudo, aliquantum inde virium ad Protestantes Anglos, Hollandos et Germanos transtulit, odiumque Gallici nominis superiori tempore conceptum, apud eas gentes confirmavit. Exsules, quorum censa capita millia ad minimum ducenta, apud quosdam etiam quingenta invenio, benigne ubique excepti, cultique in calamitate sua, nullibi tamen benignius, quam in Borussia, multum imprimis ad augendas hujus opes, ex-

citatis artium ac scientiarum studiis, morumque et ingeniorum promotâ culturâ, contulerunt, ac rem Gallicam hoc ipso non mediocriter vulnerarunt.

Atque idem ille Vir, quod jure mireris, qui incredibili adeo religionis Catholicae flagrasse visus studio, Caput Ecclesiae Romanae Pontificem vehementissime exagitabat. Nam super injuriam, quam supra commemoravimus, Pontifici Alexandro VII (1662) illatam, gravissimas ac repetitas hoc ipso tempore cum Innocentio XI habuit inimicitias. Primam certamini materiam praebuit *Jus* quod *Regaliae* Galli vocant, quo regibus licet, mortuis Episcopis, fructus ac reditus eorum colligere ac percipere, vicesque Episcopi nonnullis in rebus obire, donec novus in defuncti locum antistes succedat. Quam potestatem suam latius, ac patuerat ante, proferre cupienti Ludovico coelestes poenas Pontifex denuntiat. Ea re offensus rex, a. 1682 Conventu Episcoporum suorum Parisios indicto, antiqua Gallorum placita (dogmata) *de potestate Pontificum unice spirituali et conciliis inferiori*, quatuor propositionibus comprehensa, denuo solenni modo confirmari, aeternamque fidei normam ac regulam fieri suis imperat. Vehementissimae huic contentioni nec dum penitus finitae supervenit alia aeque gravis de libertate Hospitiorum, seu *Jure Asyli*,

quo exterorum, Imperatoris nominatim, Angliae, Galliae, Hispaniae, Portugalliae et Poloniae regum Legati Romae commorati ab antiquo gaudebant. Id cum criminum saepe impunitatem maleficis dedisset, Innocentius XI eo rem perduxit, ut Principes, quibus id juris impii erat, sponte illud abdicarent. Solus obstitit Ludovicus, et cum verbis contra animosum ac tenacem propositi virum non proficeret, a. 1687 Legatum suum Marchionem Lavardinum 700 armatis stipatum Romam misit, atque ita ferro jus suum vindicavit. Eripuit insuper Pontifici Avenionem, aegre postmodum successori Alexandro VIII (1690) restitutam. Tempore *Jus Asyli*, permissu Ludovici, penitus abrogatum; *Jus Regaliae*, temperatione quadam adhibita, lenitum, finisque sic certamini impositus est.

CAPUT LVIII.

Ludovicus XIV Induciarum Vicennalium et Pacis publicae turbator; Principum Europaeorum sumpta adversus eum arma communia, justiora quam feliciora. Pax Ryswickensis.

Induciae Vicennales a. 1684 ictae minus qua- Induciae duravere. Mortuo a. 1685 Electore Palatino Carolo, in quo exstincta stirps virilis Domus Palatino-Simmerensis (Pfalz-Simmer), Ludovicus XIV partem Palatinatus potiorem, mortui Electoris sorori Ducissae

Aurelianensi ad speciem, sibi revera cedi postulat, et, fieri si aliter nequeat, armis etiam potiri voto statuit. Id sentiens Gvilielmus III, ad cohibendam ejus libidinem, conservandamque pacem, auctor novi foederis exstitit. Initum illud a. 1686 Augustae Vindelicorum inter Imperatorem, Hispaniam, Sveciam et plerosque Imperii Germanici Ordines. Quo facto crevit simultas, neque ita multo post in apertum erupit bellum, occasione litis de Archiepiscopatu et Electoratu Coloniensi a. 1688 enatae, quem Ludovicus XIV clienti suo Fürstenbergio Episcopo Argentoratensi, Imperator autem et plures Galliae dominationis adversarii Principes Jos. Clementi Bavariae Duci deferri cupiebant. Uterque *defectu* cum laboraret *Canonico*, *ille*, quod beneficium jam aliud Ecclesiasticum, *hic*, quod nondum idoneam muneri aetatem haberet, non aliter nisi duabus tertiis votorum partibus (i. e. 15 votis e 22) alteruter consequi istam dignitatem poterat. Quot vota cum neutri contigissent, Pontifex ejus temporis Innocentius XI, odio Ludovici, cum quo acres ac diuturnas gesserat inimicitias, Bavarum cum 9 suffragiis rite electum pronuntiat, eidemque amplissima auctoritate sua dignitatem Archiepiscopalem confirmat. Eam injuriam Ludovicus non Fürstenbergio sed sibi illatam ratus, structasquo sibi foedere Augustano in-

sidias causatus, conciliatis sibi prius Turcis, mense Septembri 1688 in Germaniam magno exercitu irruit, et minus trium mensium spatio, nemine prohibente, Spiram, Vormatiam, Heilbronnam, Philippiburgum, Moguntiam, compluraque alia ad utramque Rheni ripam loca occupat. Bellum inde ordine indicit Pontifici, Hollandis, vere insequenti (1689) etiam Hispanis. Rerum interim Gvilielmo III-o apud Anglos potito (1689), et mox opera ejus foedere, quod *Magnum* vocant, Viennae (1689 12-a Mai) inter Leopoldum Imperatorem, Belgas, et Anglos, ad communes hostes Gallos communibus armis appetendos inito, (cujus societatem brevi Hispani quoque, Sabaudus atque Danus amplexi) bellum Angli ultro denuntiant (17-a Mai) Gallis, super veteres injurias id quoque nunc succensentes, quod Jacobum II-m, ex tanto modo rege exsulem, defendendum Ludovicus publice suscepisset. Atrox ibi exortum bellum, idque integros 9 annos gestum terra non segnius quam mari, gestum in Germania, Belgio, Italia, imo etiam in Hispania, et Hibernia, gestum in Oceano, et mari Mediterraneo, fortuna mari Foederatis, terra Gallis aliquanto aequiore.

Mari victores primum Galli, ad Dieppam (in Normandia) 10 Julii 1690, biennio post a conjunctis Belgarum et Anglorum navibus tanta clade affecti sunt ad La-Hogue (in

Normand.) 29 Mai. 1692, ut vires adornandae amplius justae classi, proelioque cum hostibus conserendo deessent victis. Serius tamen in America Meridionali erepta per Gallos Hispanis Carthagena. In Indiam quoque Orientalem et Occidentalem navigante impetu belli, utrobique non tantum sangvinis effusum, quantum detrimenti acceptum et illatum mutua coloniarum praedatione, incursione ac occupatione.

Terrestre bellum longe acerrimum ac cruentissimum fuit in Belgio atque Italia, maximorum utrobique virorum, ibi Luxemburgici et Gvilielmi III, hic Catinati, et Victoris Amadei Ducis Sabaudiae ductu ac auspiciis administratum. Luxemburgicus tribus celeberrimis, una ad Floriacum (Fleurus 1 Jul. 1690) de Principe Waldeccensi, duabus ad Steenkirken (4 Aug. 1692) et ad Neerwinden (29 Jun. 1693) de Gvilielmo III reportatis victoriis, sic rem Gallicam in Belgio communivit, ut ne morte quidem ejus (1695), sub inerti ac rerum militarium rudi Villeroi collapsa sit. In Italia Victor Amadeus duobus atrocissimis proeliis, primum 18 Aug. 1690 ad Staffardam, iterum 4 Octob. 1693 ad Marsigliam superatus a Catinato, universam amisit Sabaudiam. Id pacem in Italia maturavit, quam Sabaudus, seorsum a reliquis foederatis, honestissimam sibi 29 Aug. 1696 Augustae Turinorum

rum pactus est, universis possessionibus, etiam Pignerolio, quod Pace Clarascensi (1631) amissum, recuperatis. In *Germania* nihil magnae rei gestum, nisi quod Galli a. 1689, pedem ultra Rhenum referre coacti, quo fugam expedirent, hostemque a finibus regni sui averterent, foedam vastitatem in Palatinatu ferro et igne fecerunt, tanta barbarie, ut vix vestigia florentissimarum urbium Heidelbergae, Spirae, Wormatiae, compluriumque aliarum reliquerint, auctore inhumani facinoris Louvoisio. Populationibus inde, incursionibusque saepius, directa acie raro, tota mole exercituum nunquam pugnatum. In *Hibernia* Galli, armis causam Jacobi II propugnantes, populi certatim ad signa accurrentis studio, insuper et navali suorum victoria adjuti, prospera initia, laetos successus habuere, donec proelio ad fluvium Boyne (1690) confecti, possessione pellerentur insulae. In *Hispania*, postquam minus memorabili contentione obiter velut aliquamdiu certatum, anno demum 1697, qui fuit ultimus belli, capta Barcino (Barcellona metropolis Cataloniae) a Gallis ductu Vendomii.

Ita universum si spectetur bellum, non modo non inferior, sed aliquanto etiam superior Ludovicus, ad pacem nihilominus propendebat, vel quia exhaustas bello opes senserat, vel quod in spem magnam Hispaniae,

obitu Caroli II-i, propediem obtinendae erectus, quo hoc facilius consequeretur, reconciliare sibi alienatos Principum Europaeorum animos constituerat. Illi bello pariter fessi, ad paciscendi consilia hoc etiam facilius descendunt, quod pacem nuperam aequisimis legibus cum Sabaudo initam, specimen velut quoddam ac documentum futurae Ludovici moderationis intuebantur. Galli eadem, qua superioribus annis, arte usi, separatim cum singulis hostibus, ac primo quidem cum marium potentibus Anglis et Hollandis (vulgo Statibus Maritimis, See-Mächte) cum Hispanis item 20-a Sept., deinde paulo serius cum Imperatore et Imperio 30-a Oct. 1697 Ryswicki, tenui Hollandiae vico, Svecis intercessoribus, hunc in modum convenerunt:

1-o Cum Anglis. Guilielmus III rex a Ludovico solenniter agnitus, negataque in posterum Jacobo II auxilia; cuncta vicissim restituta.

2-o Cum Hollandis. Quaecumque flagrante bello amissa utrinque, pari modo reddita; mutuaque commerciorum pacta libertas.

3-o Cum Hispanis. His non solum amissa bello proximo omnia, sed locorum etiam *Reunitorum* pleraque, in his Ducatus Luxemburgicus, restituta.

4-o Cum Imperatore et Imperio Germanico. Gallis relicta Alsatia tota ne Argento-

rato quidem excepto; Germaniae, pristinisque possessoribus reddita Brisacum, Friburgum (Austriae), Philipsburgum, et quidquid a pace Neomagensi Galliae extra Alsatiam *reunitum*. Lotharingia Duci suo Leopoldo Josepho (Francisci Imperatoris patri) integra restituta, duabus tantum arcibus, ad Saravum amnem una, altera Longovico, (Saar-Louis et Longwik) in potestate Gallorum relictis. Palatinatus ditioni Philippi Gvilielmi Comitis Palatino-Neoburgici permissus; Ducissae Aurelianensi 300 millia thalerorum soluta.

Hic finis belli atrocissimi, quod multi initio non, nisi rerum Gallicarum aut ultimo exitio, aut summo ac perfectissimo omnium triumpho, habiturum finem augurabantur. Quod tamen neutrum eventu comprobatum, at domita Gallorum cuncta miscendi libido, Europa a servitute vindicata, *systemaque aequilibrii*, seu aequalitatis virium, cui superstructa *Statuum* singulorum salus ac libertas, denuo confirmatum.

CAPUT LIX.

Caroli II Angliae Regis inimica reipublicae consilia. Anglorum in tuenda libertate constantia. Jusjurandum Test; Decretum Habeas Corpus. Factionum Tories et Whigs origo.

Gaudium Gentis Anglicae, e Caroli II veterisque rerum formae sub eo restitutione or-

tum, haud fuit diuturnum. Nihil ille nec parentis nec suo periculo sapere doctus, vitiorum sed non virtutum patris haeres, multa initio statim impotentis animi, et a suis alieni indicia dedit. Namque et Ludovicum XIV, infinitae potestatis regiae acerrimum tunc temporis vindicem, ac, ob id ipsum, nominis omnis Anglici hostem infensissimum, singulari benevolentia amplexus, et religionem Reformatam, a qua nulla sejuncta salus Anglis censetur, occultis impugnare cuniculis, religionem contra R. Catholicam, qua exsul clam initiatus creditur, restituere omni ope aggressus est. Primam offensioni materiam praebuit Dunquerca Gallis restituta, ductaque in matrimonium Catharina Portugallica, sacris Romanis addictissima mulier a 1662. Crevit alienatio animorum bello infelici, quod a. 1664 Belgis Foederatis intulit, offensior his, partim quod proxima Anglos religionis et libertatis cognatione attingerent, partim etiam, quod exsulem olim minus benigne, ac sperabat, copiis suis adjuvissent. Conceptum hinc populi odium ut quodammodo leniret, in societatem *triplicis* supra commemorati *foederis*, quo retardatus in Belgio victricis Galliae impetus, contra animi sui sententiam accessit a. 1668: verum brevi ad ingenium suum reversus, instigatu et machinationibus Ludovici XIV non modo desistere ab isto cum

Hollandis foedere, sed eosdem conjunctis cum Gallo armis improviso adoriri sustinuit a. 1672: addentibus animum famosissimis illis, Domino suo patriaeque juxta perniciosis Quinqueviris, qui (Clifford, Ashley (Comes postmodum Shaftesburyus), Buckingham, Arlington, Lauderdale) a primis nominum literis *Ministerium Cabal* per jocum et ignominiam vulgo dicti, et, post fugam praestantissimi Clarendonii (1667), ad clavum imperii a rege admoti, rempublicam consiliis suis pene profligarunt. Imo, quod majus, et fidem apud posteritatem vix habiturum nefas, ausus est de universa compage reipublicae, armis infestissimorum hostium Gallorum, penitus convellenda cogitare: nisi conantem deterruisset Templeus, vir quantum patriae, tantum veritatis studiosus, praestans fide, tractandarumque rerum maximarum peritia, et his virtutibus ipsi, cui adversabatur, probatus regi, ac perquam aestimatus. Sensere Angli inimica reipublicae consilia regem cepisse: ad eam igitur totis viribus tuendam conversi, contractam cum Gallo foederis, bellique societatem, irritam reddunt Pace cum Hollandis Westmonasterii a. 1674, invito rege suo, inita. Ad haec domesticis quoque institutis saluti suae consulunt. Horum nullum memorabilius, quam *Jusjurandum*, quod *Test* (exploratio), et *Decretum* quod *Habeas Corpus* vo-

catur. Prius illud conditum a. 1673, cum, Jacobo fratre regis Catholicam religionem palam (1671) amplexo, et rege ipso desertae clam suorum religionis suspecto, perniciem rebus suis instare Protestantes cernerent. Quod Jusjurandum quibus injungitur, injungitur autem ad nostram usque aetatem omnibus, quicunque gerere magistratus, militiae praeesse (tribuni seu Colonelli munus obire, altiusque hinc eniti) volunt: fidem ad praescriptam jurisjurandi formulam dum obstringunt, eadem opera doctrinam Pontificiam, *Dogma* nominatim *Transsubstantiationis* solenniter ejurant, ac pro Idololatria haberi sibi declarant. Tali modo Catholicis, neque enim deponere jusjurandum salva religione poterant, a gubernatione reipublicae exclusis; et religione in tutum, ut rebantur, collocata: quo civilem quoque singulorum libertatem a regio dominatu, magistratuumque arbitratu vindicarent, Decretum, cui *Habeas Corpus* ex formula nomen, a. 1679, Ordines proposuerunt. Quo civem Anglum ultra mare in vincula duci, non reddita ratione comprehendi, ac, ubi comprehensus fuerit, causae cognitionem 24 horis longius differri, ipsum, nisi forte capitale crimen fuerit, datis vadibus non dimitti, vetitum est. Super haec religionis ac libertatis communiendarum praesidia, cum crebri afferentur nuntii de conspiratione

adversus regem ac rempublicam inter Catholicos, auctoribus Jesuitis, inita, eaque sollicitudo, perditi cujusdam hominis, Oates nomine, Ordinis Jesu quondam socii, testimonio vero an falso (1678) confirmata, animos omnium indignitate angeret: cogitatum etiam legimus de Jacobo a successione regni, publica lege, arcendo; sed legem *Communibus* probatam, irritam machinationes regis, procerumque dissensio reddiderunt a. 1680.

Inter haec animorum discidia, populique cum rege suo certamina, enatae sunt ambae, hodiedum superstites celeberrimae *Regiorum* et *Popularium* factiones, Anglico sermone *Tories* et *Whigs*, regiae illi, Ordinum hi auctoritatis perpetui propugnatores, a contemptu, mutuoque partium odio nomen trahentes: quippe vocabulorum uno, *Tory*, latronem Hibernicum ac praedatorem infestum, altero, *Whig*, cerevisiae genus corruptum designante.

Fessus tandem diuturno certamine rex, quo ansam contentioni praecideret, ab a. 1681 Parlamento caruit. Eo facto dimicationem cum suis declinavit quidem paulisper, at tyrannidis auxit odium, novaeque mox materiam conjurationi praebuit. In quam multi praestantissimorum civium, caritate patriae pertracti, in his Russel, et Sidney, facto pii et scelerati eodem, detecta ac tempestive oppressa conjuratione, causae bonae non bonis

artibus defensae poenas capite luerunt a. 1683. Non multo post, a. 1685 diem Carolus obiit. Qui pejus vixerit, an regnaverit, difficile posteritati judicium reliquit.

CAPUT LX.

Jacobi II-i apud Anglos impotens dominatio; inde secutum Domus Stuartae exitium. Guilielmus III Angliae, una et totius Europae libertatis acerrimus vindex; ejus ingenium, in constituenda et administranda republica laudes. Commune imperium Anglis utilius an Hollandis?

Morte Caroli II-i, frater ejus Dux hucdum Eboracensis Jacobus II-us, ut ut plerisque ob mutatam religionem exosus, regnum capessivit, non modo nemine prohibente, sed, quia casu novissimae sub Carolo conspirationis attoniti erant hominum animi, adeo ad servitutem et obsequium pronis omnibus, ut, paulo si plus sapuisset, cum tutius, tum liberius, quam quisquam antecessorum, regnare potuisse videatur. At ille brevi imperium, quod tam firmum initio visum, ipse sua imprudentia convellit ac evertit.

Principio cognatum sibi Ducem Monmouthum, filium Caroli II-i nothum, collecta seditiosorum manu, regnum armis sibi vindicare conatum, cum non incolumem fortunam, sed foedum exitum et mortem deprecaretur, multis nequicquam pro eo annitentibus, ve-

niamque errori ac adolescentiae petentibus, securi publice percutiendum curavit 15-a Jul. 1685. Quaestione inde in socios acerbissime instituta, cum nocentibus multi etiam innocentes, si suspecti, si regi, aut quaesitoribus privatim invisi, si potentes denique ac opulenti essent, ad supplicium immaniter rapti: eminente inter ceteros capiendae paenae satellites impios Georgio Jefferies, qui alieni sangvinis et auri supra quam aestimari potest avidissimus, ferro saepe ac minis sententiam judicibus, qua reum condemnarent, expressit, adeo non poenitens saevi ministerii, ut gloriatum ultro acceperimus, universos inde a Wilhelmo Conquaestore (1066) rerum capitalium quaesitores, civilis sangvinis non tantum, quantum se unum, spatio paucorum dierum, effudisse. At hoc monstrum tamen hominis non multo post, Cancellarium regni Jacobus constituit, sic dedita velut opera documentum dubitantibus daturus, crimina, quae admisisset ille, si non imperata a se, probata certe fuisse.

Terrore offuso, ac consternatis omnibus, tempus agendi, quae vellet, arbitratu suo, ratus venisse rex, praecipiti adeo, ac dementi ratione caepit religionem Catholicam, regiumque dominatum, quod destinarat dudum, contra leges, datamque publice fidem, instaurare, ut famâ molimiuum acceptâ, ille ipse acerrimus dignitatis ac jurium Sedis Romanae vin-

dex, Innocentius XI us, intempestivum ejus ardorem reprehendere necesse habuerit. Sed ille nihil sapientissimis tanti Viri consiliis, nihil repetitis suorum nunc obsecrationibus, nunc fremitu ac indignatione commotus, cuncta, ut caeperat, miscere perrexit. Inter cetera, ne singula ejus audacter et imperiose facta recenseamus, *Jusjurandum Test*, de quo ita tum persvasum erat hominibus, cum eo stare aut cadere libertatem, adversante usque Parlamento, suspendit, ac Protestantibus paulatim amotis, Catholicos publicis muneribus civilibus et militaribus praefecit; his liberam, ac publicam religionis suae professionem concessit; Jesuitis Collegium in ipsa urbe regia Londini aperuit. Deinde, cum multi, Antistitum imprimis Ecclesiae, effrenatam hanc regis evertendae veteris reipublicae libidinem palam damnarent, cognoscendis, atque puniendis horum criminibus Sacrum extra ordinem Tribunal constituit; Episcopum Londinensem, virum munere, aetate, et meritis gravem, religionis Reformatae, quae sola jus civitatis in Anglia habet, causam suscipere ausum, dignitate spoliat; sex alios Episcopos, — quod legum, quibus poena olim omnibus ab Ecclesia Anglicana *dissentientibus* irrogata, *legum vulgo Poenalium*, factam a rege abolitionem, aequamque omnibus et singulis regni civibus publice ab eodem impertitam religionis liber-

tatem, seu *Edictum* quod vocant *Tolerantiae*, promulgare noluissent, et scripto regem avocare a proposito tentassent, — in turrim Londinensem includendos curat. Concursu ad eam rem populi facto, neque eo, dum causa captivorum agebatur, intermisso, et, postquam judicum sententia universi absoluti essent, clamore, qualis ex insperato faventium solet, per totam urbem, vicinaque urbi castra, sublato: rex coeco nihilominus in perniciem suam animo, exauctoratis confestim, qui reos absolvissent, judicibus, Ecclesiasticos omnes, quicunque promulgare Edictum detrectarent, detrectabant autem plerique, rapi in judicium imperat; Pontificem Romanum, ut se, regnumque suum in fidem ac clientelam recipiat, publica legatione sollicitat. In Hibernia foedior etiam rerum facies, ubi prorex, regi et religioni Catholicae addictissimus Tyrconelus, armis, sine metu ac pudore grassabatur.

In hac publicarum, privatarumque rerum jactura, ea sola spes afflictos quoddammodo levabat animos, stirpe mascula, annisque jam deficientibus regi, filias e priori uxore Anna Clarendonia genitas, Protestantes ipsas, Protestantibusque viris, alteram quidem Mariam Gvilielmo III-o, Hollandiae *Locumtenenti*, alteram natu minorem Annam Georgio Daniae Principi nuptum datas, si patri successerint, in integrum cuncta brevi restituturas. Haec

quoque postquam evanuit spes, filio regi ac haerede ex alteris cum Beatrice Mutinensi nuptiis genito, an, ut fama percrebuerat, supposito: Angli, Catholici successoris, impendentisque ab eo exitii metu, de novandis serio rebus cogitantes, Gvilielmum Arausiacum, in quem oculi omnium pridem conjecti erant, ad auxilium arcessunt. Ille — sororis Jacobi II-i filius, ejusdemque gener, sed, quod plerique rerum publicarum rectores, ita affectus, ut potiorem artis *politicae*, quam sangvinis habendam esse rationem censeret — cognatam sibi gentem potentissimam ab injusta dominatione, Hollandiam, imo omnem Europam metu periculi, quod ex impia Jacobi, contra libertatem suorum, Reformatamque religionem, cum Ludovico XIV-o conspiratione continuo instabat, liberari, et forte, si conatui fortuna faverit, novum in Anglia beneficio regnum acquiri, gloriosum sibi, amplum Hollandis, toti Europae opportunum arbitratus, exspectatam diu avide amplectitur occasionem; sed celans consilium, dum necessaria bello, tuendisque interim contra Gallos finibus idonea providisset, ubi maturam rem judicabat, classe in Angliam, animis quam copiis (14,000) majoribus, subito appulit 6-a Nov. 1688. Jacobus primo periculi nuntio, neque eo per suos, sed per socios Gallos accepto, segnior ad credendum, postquam certiora afferrentur, fidem

procerum implorans, in integrum omnia restituturum, juratasque leges respecturum promiserat: sed, cum classem Batavam tempestate jactatam audisset, mutatus illico, arguit novissime impotentiam animi, invidiamque accendit magis. Contra ea Gvilielmus, escensione in Saxoniam Occidentalem (West Sex.) facta, ad conciliandos sibi populi animos, edicto statim ostendit: rogatum se, nec alio proposito venisse, quam ut liberum ac legitimum convocaret Parlamentum, ad turbatas res regni et Ecclesiae rite constituendas, inquirendamque regii infantis (Walliae Principis) originem. Ibi quam adversa Jacobo, tam prona omnia Gvilielmo; deserere sui Jacobum, etiam propinqui, et maxime necessarii, inter quos gener Georgius, et Anna filia; Gvilielmo reserari portae urbium, ad eum certatim transire plebs proceresque, et multi militum praefecti, in his *Churchill*, celeberrimus postea Dux *Malborough*. Quae intuens rex, abundante quamvis copiarum multitudine, congredi, quod initio decrerat, non ausus, pedem retro semper referens, cum nusquam sibi tutum existimaret, fuga salutem expedire voluit; sed captus, et in urbem regiam reportatus est, injussu Gvilielmi, qui nihil aeque, ac regnum a Jacobo deseri cupiebat. Itaque elabi eum non multo post, et in Galliam, praecedentibus uxore et filio, evadere ultro per-

misit extremo a. 1688. Regno fuga regis vacuefacto, quum multi armis illud, jure belli, confestim occupandum svaderent, Gvilielmus, propensam in se alioquin populi voluntatem cernens, consensu hujus sperare, quam habere per vim maluit imperium. Indicto igitur ad 22-am Jan. 1689 Ordinum conventu, cui, quia *Parlamentum* solis regibus convocare licet, non *Parlamenti*, sed *Conventionis* (Convéntion) nomen inditum, huic constituendae reipublicae negotium commissum, ab eoque, post acerrimas adversarum partium contentiones, praevalente Whigiorum factione, regium nomen (13 Febr.) Gvilielmo simul et Mariae uxori, imperium soli Gvilielmo delatum; his, si mori improles contingeret, proxima regni haeres Anna constituta. Simul nova jurium populi declaratio, (Bill of Rights) firmissimum futuris temporibus concordiae ac salutis publicae praesidium, Gvilielmo regnum capessituro proposita, ab eoque confirmata. Atque hinc proprie originem libertatis Anglicae numeres. Illud vero omnibus Seculis inauditum, tantam rerum Anglicarum conversionem sine sangvine potuisse patrari.

Exemplum Angliae secuta protinus Scotia, at non Hibernia, quam prorex Tyrconelus in fide Jacobi retinuit. Itaque huc ex Gallia Jacobus cum exercitu reversus (Apr. 1689), cupideque a populo exceptus, nego-

tium Gvilielmo grande facessivit, supra metum belli, offensis quoque procerum Angliae afflictato. Sed victoria, quam 1-a Jul. 1690 ad fl. Boyne de conjunctis Hibernorum et Gallorum copiis cruentissimam Gvilielmus reportavit, irritas repente omnes Jacobi spes reddidit, Gvilielmo autem, praeterquamquod regnum confirmavit, ingentem apud suos exterosque existimationem ac gloriam adjunxit. In praelio, quo nullum unquam atrocius, periculosiusque a Gvilielmo initum, caesus peritissimus belli senex Schombergius (vid. Cap. LIII.); Gvilielmus ipse, pugnantium ordinibus audacter immixtus, in gravi non semel discrimine versatus, vulnere etiam, sed levi affectus est. Hac pugna pugnata, Jacobus statim, anno insequenti etiam auxiliares Galli denuo victi, in Galliam refugerunt, Hiberniamque omnem victori Gvilielmo reliquerunt.

Interea, dum haec apud Britannos geruntur, periculo gravi Statibus Europaeis, inter eos Hollandis a Ludovico XIV, qui bellum denuo occeperat, impendente: Gvilielmus, non multo post, quam rerum in Anglia potitus, novi contra Gallos condendi foederis (vulgo Magni) auctor exstitit. Rebus autem in Anglia et Hibernia constitutis, in Belgium ipse ad exercitum venit, saepius cum hoste conflixit, nunquam superior, semper discessit inferior, at, quod non minoris interdum

aestimatur ac vincere, victorem, eumque fortissimum virum, maximique consilii, Luxemburgicum uti victoria prohibuit; atque unus omnium maxime fregit impetum victricis Galliae. In societatem belli pertraxerat etiam Anglos, eorumque utili admodum opera usus est in affligendis Gallorum maritimis opibus. Quare ille imprimis sibi vindicet gloriam non Angliae solum ab impotenti dominatu liberatae, sed Europae quoque e faucibus velut inhiantis Ludovici XIV ereptae. At hunc tamen tam infensum Gallici nominis hostem, Pace Ryswickensi, quae finem acerrimo certamini imposuit, regem Angliae Ludovicus publice agnoscere, et dare fidem coactus est, non se amplius in repetendo armis regno, exsulanti in Gallia Jacobo († 1701) affuturum.

Toto hoc, quo bellatum, tempore, diu etiam post pacem Ryswicki reconciliatam, nunquam Gvilielmus insidiis eorum caruit, qui, Romanis plerique sacris addicti, pulsum regno Jacobum, collapsasque opes suas dolebant. Ii ipsi, quorum opera regnum consecutus, alieniores semper ab eo erant, quod vir suae spontis, et qui datas sibi a natura ad regnandum dotes eximias non ignoraret, ea, quae expedire populo suo judicabat, liberius fere exsequi consvesset, privatisque officiis anteposuisset rempublicam. Ad haec natura asperior ac horridulus, nihil minus, quam capi-

capiendis hominum animis idoneus reperiebatur. Sed quod amoris ac gratiae popularis defuit, compensabat quaesita meritis auctoritas, illis ipsis, qui oderant, magni regem facientibus: quo nullum certius excellentium ingeniorum, insitaeque animo virtutis (génie) indicium. Praecipua contentionum materia fuit, quod rex, qui acutius omnibus vidit, religionem, quam quisque sequeretur civium, mensuram civilium meritorum ac virtutum constitui, hoc solo discrimine cives bonos ab improbis, gerendae reipublicae idoneos ab ineptis separari, iniquum juxta ac indignum ratus, tolli illud discrimen, et virtuti non religioni mercedem tribui cupiebat; populus autem inhaerendum legi, retinendum quod illa sanxit discrimen, et non Catholicos tantum, sed Protestantium quoque eos, qui ab Ecclesia Anglicana (Episcopali) *dissentirent*, a republica arcendos ultra insistebat. Re diu disceptata, hoc saltim consecutus est rex, ut leges, quae *Poenales* vulgo dictae, publica Ordinum auctoritate tollerentur. Certatum quoque legimus de *stabili* (ordinaria rectius) militia etiam tempore pacis alenda: quam, dominationis, non libertatis praesidium rudi seculo creditam, dimittere Gvilielmus, contra ac voluerat, coactus est. Cetera ejus, quae commemorari merentur, haec fere sunt: novam accuratiorem reditus regni publicos ad-

ministrandi rationem descripsit; aerarium ordinavit; argentariam publicam, vulgari appellatione *Bank*, qualem soli ad eum diem Genuenses in Europa habebant, Londini erexit a. 1694, auctore ac effectore immortalis operis Patersonio. Tenue id primo (1,200,000 Sterl.), quantum tempore crescentibus regni opibus auctum, (h. t. circit. 75 million St.) tantundem ad augendas vicissim eas attulit momenti. Quod Argentariae Londinensis, idem initium fuit (a. 1695) aeris alieni, quo publicis necessitatibus subveniretur, publico nomine conflandi. Quae ratio magis in dies exculta ac perfecta, dubiis postmodum rebus saluti reipublicae, bellique et bello parandarum opum adjumentum vel maximum fuit, estque hodiedum, sed quamdiu futura, incertum; illud constat, rem esse *periculosae plenum opus aleae*, et *ignem suppositum cineri doloso*, si eruperit, totam incendio ejus rempublicam conflagraturam. Anno 1698 instituta a Gvilielmo nova Mercatorum Indiae Or. Societas, decennio post (1708) veteri ejusdem nominis Societati adjuncta. Anno 1701, republica metu Jacobi et regis Catholici necdum exoneratâ, maxime, postquam Ludovicus XIV-us novas virium accessiones nactus, neposque ejus Philippus V regnum Hispaniae (1700) consecutus esset, successio imperii, si Anna imprölis mortua esset, Domui Hannoveranae de-

creto solenni delata est. Non multo post (1702 8-a Mart.) fato functus est Gvilielmus III-us, dum vixit, non tam amatus suis quam aestimatus, post mortem diu et merito cunctis desideratus.

Cum eo caepta, cum eodem desiit imperii inter Anglos et Hollandos communio. Quae, ut ut minus diuturna, multum vires affiixit Belgarum, partim quia ob illam conjunctionem plus justo rebus Europaeis impliciti, grande aes alienum conflare coacti sunt, partim etiam quod, prae cura terrestris militiae, neglectum rerum navalium, quibus excellebant ante, studium. At fructum impensi laboris ne tantillum quidem consecuti sunt, ut in gratiam eorum Angli *Edictum Navigationis* tollerent. Anglis lucri fuit fida cum aemula gente, difficillimis reipublicae temporibus, societas.

CAPUT LXI.

Caroli II-i, stirpis Austriacae ultimi, in Hispania imperium.

Philippo IV. a. 1665 fatis functo; filio et successore Carolo II-o nondum per aetatem ad imperium idoneo: vidua regina Anna Austriaca (Ferdinandi II-i Imperatoris filia) regnum diu, unice *Confessarii* sui Neidhardi, natione Germani arbitratu, administrabat. Id cum aegre ferrent Hispani, auctore Johanne Au-

striaco, Philippi IV filio notho, saepius tumultuati, post bellum cum Portugallis ac Gallis infeliciter terminatum, necessitatem Reginae Neidhardi ab officio dimittendi imponunt; imperium tamen mulieri ambitiosae ac potenti eripere non possunt. Quae multas futuris quoque temporibus turbas impotenti dominatu excitavit. Anno 1675, rege plenam aetatem regnumque mox consecuto, neque ita multo post Johanne Austriaco (1679) e vivis erepto, pacatior paulo domi respublica, foris Gallorum continuo periclitabatur insidiis. Bello cum his saepius redintegrato, complura Belgii oppida, Burgundia insuper tota amissa, regnum opibus exhaustum, populus aere alieno oppressus, fidesque publica sic collapsa est, ut vix 15 per C. usuris pecuniae mutuo sumendae potestas esset regi. Paci Ryswickensi, quae ultimo cum Gallis bello finem imposuit (1697), triennium nonnisi rex animo juxta ac corpore imbecillis supervixit, mortuus a. 1700. Is finis fuit Domus Austriacae ad 184 annos propagati in Hispania imperii.

CAPUT LXII.

Imperium Leopoldi I-i felix ac gloriosum; Hungaria et Transilvania haereditas Austriae facta; Germania metu Gallorum ac Turcarum liberata.

Post compositum Pace Westphalica bellum tricennale, novem non amplius annis imperio

praefuit Ferdinandus III, mortuus a. 1657. Obierat ante eum filius natu major Ferdinandus IV-us (1654) Hungariae et Romanorum rex designatus. Filiorum natu minori Leopoldo, quem sacro primum muneri destinatum, morte fratris, suffici sibi pater voluerat, litem de Imperatoria dignitate movit Ludovicus XIV-us rex Galliae. Post acerrimam contentionem, ac anni unius interregnum, praelatus tandem aemulo suo Leopoldus I-us, imperium, quod a. 1658 accepit, inter continuos vel Turcarum vel Gallorum, sed superatos tandem terrores, tenuit ad a. 1705. Cum Turcis primo rem habuit, qui, occasione e turbis Transilvanicis, quae sub Georgio Rákótzi II-o eruperunt, captata, a. 1660 (non multo post quam decessisset Rákótzius) M. Váradinum, et, triennio nondum elapso, Érsek-Újvárinum, pluresque arces alias in Hungaria occuparunt. His, ductu fortissimorum virorum, Comitis Nicolai Zrinyi, et Montecuculii, saepius, longe tamen omnium gravissima ad St. Gothardum pugna a. 1664 a Montecuculio victis, anno eodem vicennales inducias Vasvarini Leopoldus fecit ea conditione, ut Turcae et Váradinum et Érsek-Újvárinum retinerent. Id inconsultis se, magno reipublicae detrimento factum indignati Hungariae proceres inimica Imperatori consilia capiunt, et pellere regno Germanos proponunt, addentibus animum Nicolao Zrinyio

Croatiae Bano, et Francisco Vesselényi regni Palatino. Ambobus conjuratione nondum matura fato (1664—1667) interceptis, rem ope Turcarum exsequendam suscipiunt a. 1670 Petrus Zrinyius, fratri, sed serius ac exspectabat, in *Banatu* suffectus, et ob eam causam Imperatori offensus; Franciscus Rákótzi, (Georgii II-i filius) Zrinyii gener; Comes Franc. Frangepani, cujus soror Zrinyio nupta erat; et Comes Fr. Nadasdi Curiae Regiae Judex, super communem causam, ea privata quoque stimulatus injuria, quod, morte Vesselényii, dignitatem Palatinalem, quam expetebat, consequi non potuisset. Conatu non succedente, Rákótzius festinata solus poenitentia periculum antevertit; reliqui tres, et multi conjurationis utriusque (Vesselényianae et Zrinyio-Rákotzianae) socii, capti, ac partim extra regnum in Austria coram judicibus non Hungaris, partim in regno Posonii coram *Delegato*, ex Hungaris et Germanis mixto *Judicio*, dicere causam jussi, Zrinyius quidem et Frangepanius Neostadii (Wienerisch-Neustadt), Nádasdius Viennae, Fr. Bonis et Andreas Nagy de Fuged Posonii, omnes viri genere, suisque aut majorum meritis clari, omnes eodem die (30-a Apr. 1671) publico supplicio affecti; *ceteri*, quorum pene infinita multitudo, tercentos fuisse quidam memoriae prodiderunt, exsilio, carcere, pecunia, et bonis omnibus mulctati

sunt. Neque is finis vindictae fuit. Sed regnum legionibus Germanicis obsessum; miles etiam in arces procerum impositus; tributum nobilibus ac plebi promiscue imperatum; dignitas Palatini abrogata; Gubernator regni suprema cum potestate constitutus I. Casp. Ambringen Magister Ordinis Teutonici, homo ferus ac insolens; religio Evangelica, Pastores maxime et Scholarum Rectores Evangelici, agentibus Jesuitis, et A. Episcopo Strigoniensi Georgio Szeleptsényi, atque Leopoldo Kolonits Episcopo tum Neostadiensi, serius Strigoniensi itidem A. Episcopo ac Cardinali, acerbius quam unquam, fictis criminibus, exagitati, in ferrum et vincula conjecti, ad triremes Neapolitanas (1675) ducti, — Quibus rebus animis omnium, Protestantium maxime, irritatis, per eam occasionem, Comes Emericus Tököli, e numero eorum, qui e caede forte elapsi in Transilvania refugium quaesiverunt, potens opibus, potens etiam favore Protestantium juvenis, utpote Augustanae ipse confessioni addictus, *Hungariam* a. 1678 invadit, adjutus a Gallis, Transilvanis et Polonis. Attonitus ea re Leopoldus, quippe bello gravi per id tempus cum Gallis in Germania distractus, ne certamine uno tot cum hostibus contendendum esset, pacem cum Gallo (Neom.

1679) maturat. Inde curam omnem in res Hungaricas, reconciliandosque sibi Hungarorum animos transferens, comitia, quae ab a. 1662 nunquam habita, a. 1681 Sopronium indicit. Ibi Comitem Paulum Eszterhazi Ordinum sufragiis Palatinum regni creandum curat, Pastores ac Ludimagistros Evangelicos regno extorres, Edicto se in patriam restituturum ostendit, Protestantibus cunctis liberum religionis exercitium, *Salvo tamen jure Dominorum Terrestrium*, concedit. Contra ea Tökölius, destitutum se ope Gallorum cernens, Turcas in auxilium evocat. Illi, ruptis 20-libus induciis, infesto exercitu in Austriam penetrantes a. 1683 Vindobonam oppugnatum accedunt. Sed urbi duos jam integros menses obsessae (15 Jul. — 12 Sept.) superveniunt Carolus Lotharingicus (vid. Cap. LVI ad f.) et Johannes (III) Szobieszki rex Poloniae, Pontificis Innocentii XI intercessione, impendentisque rebus Christianorum ruinae metu ad partes Imperatoris ab amicitia Tursarum abstractus. Horum vindice dextra servata ab interitu civitas Imperatoria, Barbari ab oppugnatione urbis repulsi, Germania, imo brevi Hungaria quoque fere tota ejecti sunt. Lotharingus attonitis instans, a. 1686 Budam Metropolim Hungariae, postquam 145 annos Turcico paruisset imperio, Turcis cum Magno Vezirio, qui ad ferendam urbi opem

venerant, inspectantibus, impetu (2 Sept.) capit. Anno 1687, acceptae superiori seculo cladis Mohatsinae ignominiam, in iisdem campis Mohatsiensibus (12 Aug.) nobili victoria, multo Turcarum sangvine eluit. Rebus inde in deterius quotidie ruentibus, Mustapha II Imperator Turcarum ipse in Hungariam ad restaurandas ibi opes cum exercitu proficiscitur: sed victus ab Eugenio cruentissima ad Zentam (in Com. Báts) pugna (1697 d. 11 Sept.) trepidus redire Constantinopolim, non multo post Carloviczii inducias (26 Jan. 1699) in 25 annos facere, iisque Hungariam Banatu solum Temesiensi excepto, Transilvaniamque omnem Leopoldo in perpetuum cedere coactus est. A Turcis jactatum in conditionibus nequicquam de Tökölio in patriam restituendo. Ille igitur veritus deditionem, in Bythiniam (ubi a. 1705 mortuus) recepit se, fugae ac exsilii socia uxore Helena Zrinyia, (Francisci Rákótzi a. 1676 mortui vidua) tot claris majoribus dignissima muliere, cujus fortitudinem ac constantiam, in propugnanda arce Munkacsina (1685—1688) satis superque orbi probatam si vir habuisset Tökölius, videtur grande utrique Imperatori dare potuisse negotium. Eodem foedere Carloviczensi expressa Turcis necessitas, ut foederatis Austriae Venetis Moream (Peleponesum), Polonis Caminiecam, (vid. Cap. LXVII) Russis, qui

et ipsi bellum gerebant, Asovvium permitterent. Hoc initium labascentis Turcarum potentiae, hoc primum exemplum dimissi terrarum, quas domuissent, imperii.

In ipso victoriarum cursu Leopoldus, comitiis Posonii a. 1687 celebratis, eo rem perduxit, ut Hungari, in praemium recuperatae ex Turcis patriae, haereditariam ei regni successionem in stirpe virili, ea autem exstincta, alteri quoque A. Domus Austriacae in Hispania tum imperitanti propagini itidem masculae deferrent; ad coërcendam factiosorum hominum audaciam, Andreae II. Decr. an. 1222 art. 31 partem illam, qua potestas nobilibus, Regi, si inimica libertati consilia ceperit, impune resistendi data, decreto solenni, in perpetuum abrogarent. Quam Ordinum in stabiliendo domus Austriacae per Hungariam imperio benevolentiam velut remuneraturus Imperator, sustulit *Judicium Delegatum* seu *Commissionem Eperjesiensem*, tribunal vere sangvinarium, nuper ad indagandos ac puniendos conjurationis Tökölianae socios institutum, auctore Antonio Karaffa legionum Germanicarum duce, cujus in Hungariam superiorem, in Debreczinenses imprimis (a. 1685—1688) ad restingvendam auri et argenti sitim exercitae crudelitatis, nullum, non inter cultiores, sed ne inter barbaras quidem luce Evangelii non illuminatas gentes, exemplum: adeo uni-

versum regnum terrore nominis ejus invadente, ut eo prorumpentes infantium lacrimas ac fletus cohibere ad nostram aetatem usitatum sit matribus Hungaris.

Buda jam obsessa sed nondum expugnata erat, cum Michaël Apafi I-us inclinatas Turcarum in Hungaria res videns, legationem (28-a Jun. 1686) svasu ac consilio Michaëlis Teleki Viennam misit, in fidem se ac clientelam Imperatoris, icto foedere, traditurus. Cum de conditionibus non conveniretur, Transilvanis inter varia consilia, Turcarumque et Leopoldi metum fluctuantibus, Comes idem Karaffa, praecedente horrore nominis, in Transilvaniam cum imperio missus, quod sponte largituri non videbantur Ordines, expressit invitis (1688), ut, discessione a Turcis palam facta, praesidiis Austriacis arces tuendas committerent. Quibus rebus nunciatis, Turcae Emericum Tököli, quem captivum diu detinuerant, in Transilvaniam valida manu mittunt. Ille post mortem Apafii I-i (1690 15-a Apr.), victoriamque ad vicum Zernyest de Heislero et Comite Michaële Teleki (20 Aug.) reportatam, Princeps Transilvaniae, a parte majori Ordinum, praeeuntibus Turcis, renuntiatus, paulo post a Ludovico Badensi, Principatu spoliatus, atque in Valachiam fugere coactus est. Rebus tum pacatis, et Diplomate, quod a Comite Nicolao Bethlen Viennae a-

1690, mandato Imperatoris confectum, a. 1691 in comitiis Fogarasiensibus, quamvis aegre, Ordinum auctoritate probato, Transilvania omnis jurejurando fidem suam Leopoldo obstrinxit. Leopoldus autem, Michaëlis Apafi II seu Junioris in Principatu confirmatione ob immaturam aetatem dilata, ad gubernandas res Transilvaniae Consilium 12 virorum, vulgo *Regium Gubernium* (9 Apr. 1692) instituit, eique Gubernatorem Comitem Georgium Bánfi de Losoncz Ordinum suffragiis electum praefecit; neque ita multo post persvasit Apafio, ut 10,000 fl. annuos reditus et S. R. I. Principis titulum sibi pactus, Principatu abdicato (1699) in Leopoldum Imperatorem jus omne suum transferret, habitatumque Viennam concederet, ubi a. 1713 improlis decessit. Quaesito sic in Transilvaniam juri Austriae, novum robur, consensu Turcarum, pace Carloviczensi additum, sed imperium turbis Rákoczianis brevi interturbatum.

Bella cum Gallis in Germania et serius caepta, nec tanto quanto Turcica per Hungariam, aut tempore aut molimine gesta sunt. Caussa horum Ludovici XIV Rheno imperium terminari cupientis aviditas; initium ortum a Gallorum in Cliviam et Belgium Foederatum a. 1672, et anno insequenti in Palatinatum, Franconiamque facta irruptione. Bello, quod hinc inter Ludovicum, Leopoldumque ac Im-

perium Germanicum a. 1673 enatum, finem quidem pax Neomagensis a. 1679 imposuit (vide C. LVI): sed certamen, resuscitatum *Cameris* Ludovici *Reunionis*, et male Induciis vicennalibus (1684) sopitum, vehementius aliquanto exarsit a. 1688, aegre demum nono post anno pace Ryswickensi exstinctum a. 1697. vid. C. LVIII. Grassantibus ad Rhenum Gallis, periculum Germaniae, parte ab altera, impendebat etiam a Turcis, Gallorum foederatis, sed depulsum clade Turcarum Viennensi, et hanc subsecutis in Hungaria stragibus.

Praeter bella cum exteris Gallis et Turcis, memorabile Leopoldi I. in Germania imperium internis quoque reipublicae mutationibus. Sub eo novus Electoratus, isque jam nonus, in rationem Ernesti Ludovici Hannoverani institutus a. 1692; duo Principum Germaniae, Saxo, et Brandenburgicus, regium fastigium consecuti, ille, ejurata prius religione Evangelica, in Polonia a. 1697, hic in Borussia a. 1701. Quo facto quantum Principum illorum, tantum universi adaucta auctoritas Imperii, difficiliorque hoc ipso tractandi ac gubernandi ejus ratio Imperatoribus in futurum reddita. Accessit, quod Ordines — quos flagrante bello Ludovicus, dum id propriae utilitatis ratio exigeret, omnibus officiis ut Principes coluerat, socios sibi ac amicos adjunxerat — arreptâ dignitatis ac opum fiducia, ad plus

aequo sibi tribuendum, detrectandumque Imperatori obsequium proniores essent. Imperante itidem Leopoldo, forma Comitiorum accuratius descripta, lege publice lata (1662—1806), ut Comitia Imperii Ratisbonae perpetua essent: consilio sane, quam mutatae temporum indoli accommodato, tam soli dandis rebus firmandisque salutari.

PERIODI SECUNDAE

PARS POSTERIOR

EUROPA SEPTENTRIONALIS.

ab interitu domus Rurik ad Carolum XII seu initia belli Septentrionalis Magni 1598—1697.

AETAS I. 1598—1660.

Considerationes Generales.

Aetas haec memorabilis contentionibus ac bellis de imperio Russiae et Sveciae gestis; clara etiam Statibus Septentrionalibus, Danis nominatim et Svecis bello tricennali Germanico immixtis; moliminibusque insuper Caroli X-i, summae rerum in Europa Septentrionali inhiantis.

CAPUT LXIII.

Russia interitu Theodori I-i civilibus discordiis, et exterorum armis lacerata; imperio tandem potita cognata Domus Rurikiae Romanow; laeta novi imperii initia.

Morte Theodori I (Feodor) regnatricis domus Rurikiae ultimi (1598), imperium malis artibus occupavit, sed non diu tenuit Borisius, veneno, quod ipse sibi miscuisse creditur, sublatus a. 1605, per occasionem tumultus, quem Monachus quidam Graecus, Gregorius Otrepiew Demetrium Theodori fratrem se mentitus, vulgo Pseudo-Demetrius, excitavit. Armis hic in Russiam et Poloniam penetrans, regno, quod a Theodori, Borisii infantis filii, caede inchoatum, flagitiis omnibus, libidine, avaritia, crudelitate, contaminavit, post 13 menses, conspiratione Procerum spoliatus, et 17 Mai. 1606, cum multis partium suarum Polonis, inter ipsa nuptiarum solennia obtruncatus, locum fecit Schuiskio, quo duce conjuratio inita fuerat. Sub eo alter statim, et illo interempto, tertius prodiit Pseudo-Demetrius, Polonorum itidem opibus suffultus, quos ulciscendae caedis suorum, asserendique sibi Russiae imperii stimulabat cupido. Victus ab his Schuiskius Svecos ad auxilium evocat, Kexholmiam laboris proemium illis pollicitus. Svecis quoque superatis, Russi unanimi fere consensu, ut

patriam discrimini eripiant, Schuiskio Polonis dedito, et in claustrum per eos incluso, Uladislaum regis Poloniae Sigismundi filium pactis conditionibus Magnum Ducem (Czaar) creant a. 1610. Quum pacto non starent Poloni, et hostilia in receptos sub fidem ausi, gentem totam abalienassent: Demetrio interim, sive verus ille sive falsus fuit, a Tartaris, quibus corporis custodiam commiserat, interfecto; Svecis, qui et ipsi capta Novogardia (Nowgorod) summae rerum inhiabant, non tam regis sui filio Carolo Philippo Principatum in Russia, quod simulabant, parare, quam opes suas Russicarum rerum ruina ampliare adnitentibus: quatuor primariae nobilitatis viri, quibus indignum videbatur, populum Russicum, paulo ante, rebus concordibus, viciniae toti metuendum, nunc civilibus discordiis eo esse devocatum, ut ab iisdem Svecis ac Polonis obsideatur, quorum saepe exercitus fuderit, vindicandae ejus indignitatis, depellendaeque servitutis alienae capiunt consilium. Itaque vocatis ad arma civibus, atque impetu in Polonos, potentiorem hostem, verso, Moscuam ex illis multa vi recipiunt a. 1612; tum conventu Nobilium, Cleri et Civitatum (Moscuam) indicto, Michaelem Feodorowitsch e cognata Rurikiae Domo Romanow, 17 annorum, at optimae spei adolescentem, Metropolitae Rostowensis

fili-

filium, consentientibus omnium suffragiis summae rerum praeficiunt, atque una haeredibus quoque ejus regnum confirmant 21. Febr. 1613. Imperium Domus Romanow in stirpe mascula ut ut interruptum a. 1730, in stirpe tamen foeminea (Holsat.) hodiedum durat.

Michaël intestinis prolapsam turbis rempublicam instauravit, hostes Svecos ac Polonos, bello insuperabiles, icto foedere sibi reconciliavit, Svecos quidem a. 1617 Pace Stolboviensi, Ingria, Carelia, et Kexholmia ditioni eorum permissis; Polonos autem a. 1619, 14 annorum inducias, sed serius (1634) in pacem conversas, cum his pactus, quarum virtute: Smolenscium, Severiam, et Tsernigoviam in potestate Polonorum reliquit, juri in Livoniam et Curlandiam penitus renuntiavit; vicissim promissum ab Uladislao tulit, nullo unquam sub titulo amplius eum possessionem imperii Russici flagitaturum. Reliquum regni, quod ad a. 1645 non sine laude propagatum, in pace ac otio transegit, nactus successorem filium Alexium. Sub eo (1645—1676) Cosaci Russiam Parvam (Ucraniam ultra Borysthenem) incolentes Russico imperio adjuncti, provinciae, quas pater Polonis concesserat, armis recuperatae (vid. Cap. LXVI); cum Svecis, postquam vario aliquamdiu Marte pugnatum esset, pax Stolboviensis confirmata (1661); cum Turcis bellum occeptum,

sub successore demum Theodoro II-o finitum (1680) ea lege, ut de jure suo in Ucraniam Turcae decederent.

CAPUT LXIV.

Bellum Successionale Sveco-Polonicum. Gustavi Adolphi et Caroli X-i in gerendo bello virtus, ac fortuna prope singularis. Electoris Brandenburgiae Friderici Gvilielmi Polonorum dominatu se se liberantis calliditas. Carolus X-us in ipso subjugandae Daniae conatu morte interceptus. Pax Olivensis, et Havniensis.

Carolo IX (1604) rege a Svecis renuntiato, (vid. Cap. XXXVIII.) Sigismundus Poloniae rex, ad quem paterni regni successio spectabat, armis jus suum prosequens, bellum ingens suscitavit, quod saepe interruptum, et per intervalla repetitum, non prius, quam a. 1660 penitus terminatum est. Initio male rem gessere Sveci, belli maxime cum Russis et Danis interventu. Sed vero Gustavus Adolphus, cum 17 annos nondum explesset, patrem Carolum IX a. 1611 in regno secutus, ubi, quae prima cura fuit, Danos (1613) et Russos (1617 Stolbowae) sibi reconciliasset, totis viribus in bellum Polonicum conversus, feliciter adeo illud administravit, ut plurima Livoniae et Borussiae loca occuparet, eaque induciis etiam sexennibus, a. 1629 intercessore Richelio conciliatis, pleraque retineret. In Germaniam inde ad armis tuen-

dam Protestantium causam profectus, quas ibi res manu et consilio insuperabilis rex gesserit? et post obitum ejus (1632), Christinâ filia ad regnum nondum idoneâ, quibus artibus, per quos viros, res Svecica domi forisque sustentata? quo eventu in Germania, et cum Danis (a. 1643—1645) certatum sit? dictum in Historia Belli tricennalis Germanici. Cum Polonis prorogatae in sex et viginti annos induciae, quietum Christinae regnum omne tenuere. Quod ingenio, studiis, oris et vocis conformatione, totoque corporis habitu, viro quam foeminae propior, sed varia in omni vitae genere virgo, in ipso aetatis flore, annos nata 27, sponte abdicavit a. 1654: admirantibus magis quam dolentibus Svecis, quidum regina delicias suas, literarum studia unice sequitur, in has proventus ac opes regni omnes profundit — neglectam interim Rempublicam, exhaustum aerarium, graveque aes alienum populo contractum merito indignabantur. Antequam decessisset imperio, successorem sibi Ordinum consensu legit amitinum suum Comitem Palatinum Biponti Ducem (vid. Cap. XLV) Carolum Gustavum, Gustavi Adolphi sorore genitum. Ipse annuos sibi reditus pacta, et Oeniponte in Germania religionem Catholicam publice amplexa, in illam politioris omnis humanitatis, et culturae sedem ac domicilium Romam seces-

sit; inde, subeunte, sed sera, abdicati imperii animum poenitentia, obitu Caroli Gustavi (1660), ad repetendum regnum in Sveciam reversa, conatu non succedente, Romam denuo rediit, ibidemque, frustrato etiam altero regni in Polonia (1668) potiundi consilio, literis consecratam finiit vitam a. 1689.

Carolus X refecto primum aerario, constitutaque re militari, intermissum diu cum Polonis renovat certamen, iratus regi eorum Johanni Casimiro, quod electioni suae intercedere, et de regno Sveciae litem ipsi ausus esset movere. In Poloniam igitur, molestiis belli Russici hoc ipso tempore conflictatam, alter velut Pyrrhus, avidus gloriae et belli juvenis, cum exercitu (1655) profectus, fusis primo impetu hostibus, et Casimiro rege fuga in Silesiam remedium timoris quaerente, fide citius totam fere subjugat Poloniam ac Lithvaniam.

Successu Caroli territus, et Borussiae suae veritus Fridericus Gvilielmus Elector Brandenburgiae, in tutelam ac fidem Caroli se ex clientela Polonorum conferens (6 Jan. 1656 Conventione Regiomontana), arma et ipse contra Polonos vertit, fuitque pars magna victoriae ad Warschoviam post acerrimum tridui certamen (18, 19, 20 Jul. 1656) per Carolum de Polonis reportatae; inde, non multo post, praetextu regni contra irruentes Polonos tu-

endi domum rediit. Quem talem virum ut in fide retineret Carolus, suprema ei ultro jura in Borussiam (Brandenburgicam) foedere Labiaviensi (Labiau 10 Nov. 1656) detulit. Sed ille, hinc intutum sibi Svecorum dominatum reputans, illinc foederis ad retardandum bellicosi Sveciae regis impetum inter Russiam, Austriam et Daniam (Jun. 1657) initi amplissimas opes intuens, ad foederatorum, Poloniaeque se se applicuit partes, non sine pactione tamen (Wehlaviae 19. Sept. 1657) ut, quemadmodum antea Svecus fecisset, Polonus quoque omni omnino in Borussiam (Brandenburgicam) jure suo decederet, atque eandem Gvilielmum, posterosque ejus totam dehinc arbitratu suo gubernare permitteret.

Ibi Carolus, ingruente quamvis undique periculo, metuendus magis quam metuens, Poloniâ, quam, succurrente nequicquam Georgio Rákótzi II Transilvaniae Principe (1657), non jam defendi posse intelligebat, relictâ, et parte copiarum, ductu Wrangelii, ad arcendam Danorum in agro Bremensi populationem missâ, ipse via, qua Torstensohnius olim ferro sibi aditum patefecerat, in Holsatiam infesto agmine (12,000) descendit, triplicique profligato hostium numero, Slesvicum et Jutiam omnem in suam ditionem redigit; inde, cum glacie constrictum mare jaceret, exercitu per insulas Danicas audacter

circumducto, Havniam obsidione premit; nec prius ab ea re recessit, quam Fridericus III, terrore perculsus, impositas sibi durissimas Pacis Roschildensis (26 Febr. 1658) conditiones acciperet. Svecorum ditioni ex eo foedere a Danis permissa Scania, Hallandia, Blekingia (vid. Cap. XXXVIII nro. 3), Bahusia, Drontheimia, et insula Bornholmia; Sveci immunes portoriorum in freto Oresundico declarati; Friderico Duci Holsato-Gottorpiensi Caroli socero plena potestas a Danis in Ducatum Slesvicensem attributa.

Pace parta Fridericoburgum Carolus invisendi regis Daniae caussa paulum digressus, cum multo eum dotibus naturae se inferiorem, in familiari ista congressione expertus esset, subiit statim animum poenitentia maturatae pacis, regnique, imbelli adeo ac debili, ut judicabat, viro eripiendi cupido. Quaesivit igitur causam jurgii, cum non inveniret, Danis nihil eorum, quae alia aliis iniquiora postulabantur, detrectantibus: posita simulatione, et excidium palam minatus, bellum improviso terra et mari Friderico III-o infert illo ipso anno mense Augusto, et Coronaeburgo multa vi expugnato, Havniam recta contendit. Ibi cuncta jam defensioni parata, militarem omnem aetatem, ipsamque adeo pubem Scholasticam in armis invenit. Ventum attamen ad deditionem fuisset, nisi

Foederati Belgae classe, Leopoldus Imperator et Brandenburgicus terrestribus copiis adfuissent. Ope horum, navali maxime Belgarum victoriâ, non tolerata solum obsidio, sed etiam anno insequenti (1659) Slesvicum, Jutia, Fionia, Drontheimia, et Bornholmia ex hoste recepta. Urbi nihilominus instantem, repetitoque eam impetu capere conatum, virtus oppidanorum, et circumstantium undique hostium metus recedere ab obsidione regem cogunt. Qui non multo post, bellum Norvegiae inferens, dolore, ut quidam volunt, tantae ad irritum cadentis spei, morbo gravi implicitus, orbis terrarum imperio non contentum morte repentina reddidit spiritum Gothenburgi 12 Febr. 1660. Obitu ejus in magnam spem veteris potentiae ac dignitatis recuperandae venerant Dani, sed parum fideliter a foederatis suis adjuti, frustratas mox spes suas videre coacti sunt Pace Havniensi 27 Mai. 1660. Qua Roschildense tantum foedus confirmatum, hoc uno excepto, quod Drontheimia et Bornholmia Danico imperio restituta.

Cum Polonis, et reliquis hostibus Olivae a. 1660 23 Apr. ita conventum: ut praesidia Svecica arcibus Polonicis et Borussicis excederent; Polonus juri suo in Sveciam, et Livoniam Svecicam (quae supra Dunam fl. sita est) renuntiaret in perpetuum; Sveco restitueretur Pomerania flagrante bello armis

foederatorum occupata; Electori denique Brandenburgico suprema in Borussiam Brandenburgicam jura communi Principum consensu confirmarentur.

Pace Olivensi et Havniensi longinquum de successione Svecica finitum certamen, reconciliatus Dano Svecus, pacata Septentrionalis Europa, et ab impetu ac terrore Svecorum vindicata.

AETAS II. 1660—1697.

CAPUT LXV.

Mutata forma reipublicae apud Danos, regnante Friderico III. Mutationis ejus origo, auctores, laetus exitus.

Nullam unquam rerum conversionem aut a tam tenui ortam principio celerius effectam, aut, quae ipso molimine tanta, eventu etiam gravior esset, minus violentam legimus, quam eam, quae regnante Friderico III apud Danos facta est.

Nova reipublicae sub Friderico I constitutione (vid. Cap. XXXV.) nobilibus ac senatui imperium, regibus nomen fere solum regni delatum esse supra monuimus. Nata hinc mala gravissima, scissum in factiones regnum, excussos imperii frenos, privatis paucorum rationibus posthabitam rempublicam, aegerrime diu rex, populusque ferebant, sub jugum velut missi. Nobilitas rerum potens,

foederatorum occupata; Electori denique Brandenburgico suprema in Borussiam Brandenburgicam jura communi Principum consensu confirmarentur.

Pace Olivensi et Havniensi longinquum de successione Svecica finitum certamen, reconciliatus Dano Svecus, pacata Septentrionalis Europa, et ab impetu ac terrore Svecorum vindicata.

AETAS II. 1660—1697.

CAPUT LXV.

Mutata forma reipublicae apud Danos, regnante Friderico III. Mutationis ejus origo, auctores, laetus exitus.

Nullam unquam rerum conversionem aut a tam tenui ortam principio celerius effectam, aut, quae ipso molimine tanta, eventu etiam gravior esset, minus violentam legimus, quam eam, quae regnante Friderico III apud Danos facta est.

Nova reipublicae sub Friderico I constitutione (vid. Cap. XXXV.) nobilibus ac senatui imperium, regibus nomen fere solum regni delatum esse supra monuimus. Nata hinc mala gravissima, scissum in factiones regnum, excussos imperii frenos, privatis paucorum rationibus posthabitam rempublicam, aegerrime diu rex, populusque ferebant, sub jugum velut missi. Nobilitas rerum potens,

crescentibus opibus, luxu corrupta, non m
do nihil rerum suarum, difficillimis reipubl
cae temporibus, in publicum impendit, sed
illam ipsam, quam debebat, segniter jam
dudum militiam obibat. Quare ei potissimum
ignominia sub proximo rege Christiano IV,
flagrante bello Tricennali Germanico, bis ac-
cepta (vid Cap. XLII et XLV) vulgo tribu-
ebatur. Impendente a Svecis novissime ex-
itio, proditam fuga nobilium, virtus imprimis
civium Havniensinm ruentem sustinuit remp.
Vix tandem difficultates eluctatus belli Fri-
dericus III (ex Archiepiscopo Bremensi in
locum Christiani IV parentis a. 1648 rex suf-
fectus, quod frater natu major Christianus fa-
to patrem praecesserat) comitia eo ipso an-
no (1660) ad 2-am Sept. Havniam indicit,
reipublicae, aerariae maxime, quae penitus
collapsa jacebat, instaurandae consilio. Ibi,
orta inter Ordines de pendendo vectigali alter-
catione, dum legati civium, et multi Eccle-
siasticorum, nobilitatem in partem insveti huc-
dum oneris venire, aequum non magis, quam
necessarium pro tempore contenderent: nobi-
litas contra insignem adeo superiorum tem-
porum praerogativam eripi sibi nullo modo
pateretur: Suanius (Suaning) Episcopus seu
Superintendens Selandiensis, et Nansenus
Consul Havniensis, prompti ambo lingva et
consilio viri, fortius inveterati mali remedi-

crescentibus opibus, luxu corrupta, non modo nihil rerum suarum, difficillimis reipublicae temporibus, in publicum impendit, sed illam ipsam, quam debebat, segniter jam dudum militiam obibat. Quare ei potissimum ignominia sub proximo rege Christiano IV, flagrante bello Tricennali Germanico, bis accepta (vid. Cap. XLII et XLV) vulgo tribuebatur. Impendente a Svecis novissime exitio, proditam fuga nobilium, virtus imprimis civium Havniensinm ruentem sustinuit remp. Vix tandem difficultates eluctatus belli Fridericus III (ex Archiepiscopo Bremensi in locum Christiani IV parentis a. 1648 rex suffectus, quod frater natu major Christianus fato patrem praecesserat) comitia eo ipso anno (1660) ad 2-am Sept. Havniam indicit, reipublicae, aerariae maxime, quae penitus collapsa jacebat, instaurandae consilio. Ibi, orta inter Ordines de pendendo vectigali altercatione, dum legati civium, et multi Ecclesiasticorum, nobilitatem in partem insveti hucdum oneris venire, aequum non magis, quam necessarium pro tempore contenderent: nobilitas contra insignem adeo superiorum temporum praerogativam eripi sibi nullo modo pateretur: Suanius (Suaning) Episcopus seu Superintendens Selandiensis, et Nansenus Consul Havniensis, prompti ambo lingva et consilio viri, fortius inveterati mali remedi-

m circumspicientes, compedibus ac vinculis, quibus constrictum tenebatur, liberare regium imperium, *Electionemque* cum *Capitulatione*, seu eligendi regis, eique regnum capessituro leges praescribendi arbitrium adimere nobilibus, qui fere soli illud exercebant, apud animum proponunt. Gabelo primum, Secretario regis, exploratae et fidei et virtutis viro credita res; intercursore deinde eo conferri clam coeptum cum rege et regina, in qua pene plus quam in rege constantiae ac praesidii inesse visum; tum consciis quoque pluribus assumptis, ubi maturam rem, nec regi populoque ingratam agi appareret, legati utriusque Ordinis, quorum principes Suanius et Nansenus numerabantur, scripto consilium suum (8-a Oct.) Senatui ostendunt. Eo diu renitente, ultionemque ac poenas auctoribus rei minante, universi regem adeunt, quid fieri velint, exponunt, et responso, quale sperabant, accepto, illatum sibi reddunt nobilibus terrorem: edicto per Nansenum proposito, ut expedita ad quemvis impetum arma cives haberent. Ibi multis nobilium, partim metu, partim, ut quam praesentes auctoritate non poterant, discessu suo absentes irritam rem redderent, fugam occulto molientibus, clausae urbis portae, mixtae civium et militum stationes per moenia dispositae, intrandi omnibus, exeundi nemini fa-

um circumspicientes, compedibus ac vinculis, quibus constrictum tenebatur, liberare regium imperium, *Electionemque* cum *Capitulatione*, seu eligendi regis, eique regnum capessituro leges praescribendi arbitrium adimere nobilibus, qui fere soli illud exercebant, apud animum proponunt. Gabelo primum, Secretario regis, exploratae et fidei et virtutis viro credita res; intercursore deinde eo conferri clam coeptum cum rege et regina, [in qua pene plus quam in rege constantiae ac praesidii inesse visum; tum consciis quoque pluribus assumptis, ubi maturam rem, nec regi populoque ingratam agi appareret, legati utriusque Ordinis, quorum principes Suanius et Nansenus numerabantur, scripto consilium suum (8-a Oct.) Senatui ostendunt. Eo diu renitente, ultionemque ac poenas auctoribus rei minante, universi regem adeunt, quid fieri velint, exponunt, et responso, quale sperabant, accepto, illatum sibi reddunt nobilibus terrorem: edicto per Nansenum proposito, ut expedita ad quemvis impetum arma cives haberent. Ibi multis nobilium, partim metu, partim, ut quam praesentes auctoritate non poterant, discessu suo absentes irritam rem redderent, fugam occulto molientibus, clausae urbis portae, mixtae civium et militum stationes per moenia dispositae, intrandi omnibus, exeundi nemini fa-

cta potestas. Aegre tandem impetratum a [illegible] natu, primum, ut maribus tantum, dein, in[illegible] stante adversaria parte, ut foeminis quoque haereditariam deferri successionem pateretur. Nova tum de constituendo regno, juribusque regis et Ordinum definiendis, instituta quaestione, surgit Suanius, et, collaudatâ domus regiae, regisque ipsius praeclarâ per omne tempus in suos benevolentiâ, soli summam rerum ac nullis limitibus circumscriptam potestatem permittendam esse svadet. Ejus sententiam universi statim secuti Ordines Friderico III-o, ut haereditario dehinc regi, et sui omnino arbitrii futuro fidem suam d. 18 Oct. 1660 laeta ac solenni pompa obstringunt: accepta vicissim a rege sponsione, mite imperium fore, ac Christiano rege dignum. Secuta Ordinum, haereditarium ac absolutum (infinitum rectius) regium imperium regi, posterisque ejus utriusque sexus legitimis deferentium Declaratio (Souverainitäts-Act.) 10 Jan. 1661. vid. Spittler Gesch: der Dänischen Revolution im Jahr 1660. p. 239. At a rege nova protinus descripta forma reipublicae, sua singulis Ordinum privilegia (regiae unice debita gratiae, nec pro juribus habenda) distributa ac constituta, speratis forte minora, sufficientia tamen ad id, ut perturbationem rerum publicarum omnes pertimescerent. Horum vel maxime illud memorabile, quod com-

cta potestas. Aegre tandem impetratum a senatu, primum, ut maribus tantum, dein, instante adversaria parte, ut foeminis quoque haereditariam deferri successionem pateretur. Nova tum de constituendo regno, juribusque regis et Ordinum definiendis, instituta quaestione, surgit Suanius, et, collaudatâ domus regiae, regisque ipsius praeclarâ per omne tempus in suos benevolentiâ, soli summam rerum ac nullis limitibus circumscriptam potestatem permittendam esse svadet. Ejus sententiam universi statim secuti Ordines Friderico III-o, ut haereditario dehinc regi, et sui omnino arbitrii futuro fidem suam d. 18 Oct. 1660 laeta ac solenni pompa obstringunt: accepta vicissim a rege sponsione, mite imperium fore, ac Christiano rege dignum. Secuta Ordinum, haereditarium ac absolutum (infinitum rectius) regium imperium regi, posterisque ejus utriusque sexus legitimis deferentium Declaratio (Souverainitäts-Act.) 10 Jan. 1661. vid. Spittler Gesch: der Dänischen Revolution im Jahr 1660. p. 239. At a rege nova protinus descripta forma reipublicae, sua singulis Ordinum privilegia (regiae unice debita gratiae, nec pro juribus habenda) distributa ac constituta, speratis forte minora, sufficientia tamen ad id, ut perturbationem rerum publicarum omnes pertimescerent. Horum vel maxime illud memorabile, quod com-

unicati cum plebe honores, rusticisque locus inter Ordines in comitiis regni assignatus. Denique, quod unum ordinati rebus restabat, definitus a rege ordo successionis, Lege Regia (Königs Gesetz), quae a. 1665 condita, non tamen prius quam a. 1670, morte Friderici III, publicata est.

Conversionem istam rerum eventus maxime comprobavit, domi concordiâ civium restitutâ, foris regno a vicinorum frequentissimis ante assultibus vindicato.

Sub Christiano V, Friderici III filio ac successore (1670—1699) multa addita, quae ad perficiendum aut stabiliendum novum rerum ordinem facere judicabantur, ministro et auctore viro magno Petro Schuhmacher, Comite postmodum Greifenfeld. Nova nominatim Comitum ac Baronum appellatio inventa, novusque Ordo Equestris Dannebrogicus institutus, egregium utrumque muniendi ac illustrandi regii imperii instrumentum. Rex idem codicem legum novum, quem pater inchoarat, magna cura adornatum, publica luce donavit; Comitatum Oldenburg, et Delmhorst, morte ultimi Comitis Antonii Guntheri, post longam cum cognatis Ducibus altercationem, Danico imperio adjunxit; Slesvicum, dissoluto foedere Roschildensi (1658), bis per vim ac fraudem Duci Holsato-Gottorpiensi ereptum, bis coactus eidem restituit,

municati cum plebe honores, rusticisque locus inter Ordines in comitiis regni assignatus. Denique, quod unum ordinati rebus restabat, definitus a rege ordo successionis, Lege Regia (Königs Gesetz), quae a. 1665 condita, non tamen prius quam a. 1670, morte Friderici III, publicata est.

Conversionem istam rerum eventus maxime comprobavit, domi concordiâ civium restitutâ, foris regno a vicinorum frequentissimis ante assultibus vindicato.

Sub Christiano V, Friderici III filio ac successore (1670—1699) multa addita, quae ad perficiendum aut stabiliendum novum rerum ordinem facere judicabantur, ministro et auctore viro magno Petro Schuhmacher, Comite postmodum Greifenfeld. Nova nominatim Comitum ac Baronum appellatio inventa, novusque Ordo Equestris Dannebrogicus institutus, egregium utrumque muniendi ac illustrandi regii imperii instrumentum. Rex idem codicem legum novum, quem pater inchoarat, magna cura adornatum, publica luce donavit; Comitatum Oldenburg, et Delmhorst, morte ultimi Comitis Antonii Guntheri, post longam cum cognatis Ducibus altercationem, Danico imperio adjunxit; Slesvicum, dissoluto foedere Roschildensi (1658), bis per vim ac fraudem Duci Holsato-Gottorpiensi ereptum, bis coactus eidem restituit,

Gallorum prius (1679), iterum Imperatoris, Brandenburgiaeque et Saxoniae Electorum interventu a. 1689 foedere Altonensi. Fuit socius foederis ad defendendos Belgas contra Ludovicum XIV initi, praeclarasque isto bello, sed infructuosas de Svecis Gallorum foederatis reportavit victorias, adjutore Electore Brandenburgico. (vid. Cap. LVI.) Serius ope ac amicitia Gallorum, Holsaticas Danorum in Germania ditiones ampliare atque augere aggressus, desistere ab hoc incepto coactus est per illos ipsos Principes, quos socios ante ac adjutores nactus erat. Fato functus a. 1699, successorem reliquit filium Fridericum IV.

CAPUT LXVI.

Turbae, rebellione Cosacorum Chmielnizkio duce concitatae; nati hinc non simplicis belli eventus.

Secundum mutatam apud Danos sub Friderico III reipublicae formam, nihil ex hac aetate rebellione Cosacorum, et inde accenso certamine memorabilius. Cosaci, mixtum e liberis Russis, Polonis et Tartaris genus, Podoliae et Ucraniae, ad utramque Borysthenis (Dnieper) ripam, incolae, regum Poloniae inde a seculo XV clientes, et, per Stephanum Bathorium (vid. Cap. XXXVIII.) mansvefactis sensim moribus, rebusque ordinatis, firmissimum diu ab ea parte reipublicae contra Turcas ac Tartaros propugnaculum,

Gallorum prius (1679), iterum Imperatoris, Brandenburgiaeque et Saxoniae Electorum interventu a. 1689 foedere Altonensi. Fuit socius foederis ad defendendos Belgas contra Ludovicum XIV initi, praeclarasque isto bello, sed infructuosas de Svecis Gallorum foederatis reportavit victorias, adjutore Electore Brandenburgico. (vid. Cap. LVI.) Serius ope ac amicitia Gallorum, Holsaticas Danorum in Germania ditiones ampliare atque augere aggressus, desistere ab hoc incepto coactus est per illos ipsos Principes, quos socios ante ac adjutores nactus erat. Fato functus a. 1699, successorem reliquit filium Fridericum IV.

CAPUT LXVI.

Turbae, rebellione Cosacorum Chmielnizkio duce concitatae; nati hinc non simplicis belli eventus.

Secundum mutatam apud Danos sub Friderico III reipublicae formam, nihil ex hac aetate rebellione Cosacorum, et inde accenso certamine memorabilius. Cosaci, mixtum e liberis Russis, Polonis et Tartaris genus, Podoliae et Ucraniae, ad utramque Borysthenis (Dnieper) ripam, incolae, regum Poloniae inde a seculo XV clientes, et, per Stephanum Bathorium (vid. Cap. XXXVIII.) mansvefactis sensim moribus, rebusque ordinatis, firmissimum diu ab ea parte reipublicae contra Turcas ac Tartaros propugnaculum,

seculo XVII, regnante maxime Uladislau IV, (qui a. 1632 patri Sigismundo substitutus) premi, rapi, bonis et libertate spoliari insolentia atque aviditate procerum Poloniae coepti, cum nihil querendo profecissent, ad ultimum illo ipso, quo Uladislaus decessit anno (1648) arma, desperatis rebus, capiunt, ducem secuti Chmielnizkium, principem gentis suae virum, quem, super publicam injuriam, trucidatus domi filius, ereptaque per vim uxori pudicitia, patratore sceleris Jarinszkio (nobili Polono), ad bellum ac vindictam accendebat. In eo bello victi subinde, saepius victores Cosaci, Russis se a. 1654 subjiciunt. Natum hinc cum Russo certamen, eo gravius Polonis, quod bello per id tempus a Carolo X Svecorum rege infestabantur, postquam decennium amplius, non tamen una continuatione, durasset, a. 1667 Induciis Andrussowiensibus (saepe postmodum renovatis et a. 1686 in pacem foedere Moscuensi conversis) ea lege terminatum est, ut diviso Cosacorum imperio, Ucraniam cis Borysthenem Poloni, ultra Borysthenem (Russiam Parvam) Russi tenerent; superque ea Russi etiam Smolenscium, Severiam et Tsernigoviam, provincias superioribus annis sub Michaële Feodorowitshio amissas, at hoc ipso bello armis receptas, possiderent ut suas. Sed neque futuris temporibus quietiores Cosaci, implorato

seculo XVII, regnante maxime Uladislau IV, (qui a. 1632 patri Sigismundo substitutus) premi, rapi, bonis et libertate spoliari insolentia atque aviditate procerum Poloniae coepti, cum nihil querendo profecissent, ad ultimum illo ipso, quo Uladislaus decessit anno (1648) arma, desperatis rebus, capiunt, ducem secuti Chmielnizkium, principem gentis suae virum, quem, super publicam injuriam, trucidatus domi filius, ereptaque per vim uxori pudicitia, patratore sceleris Jarinszkio (nobili Polono), ad bellum ac vindictam accendebat. In eo bello victi subinde, saepius victores Cosaci, Russis se a. 1654 subjiciunt. Natum hinc cum Russo certamen, eo gravius Polonis, quod bello per id tempus a Carolo X Svecorum rege infestabantur, postquam decennium amplius, non tamen una continuatione, durasset, a. 1667 Induciis Andrussowiensibus (saepe postmodum renovatis et a. 1686 in pacem foedere Moscuensi conversis) ea lege terminatum est, ut diviso Cosacorum imperio, Ucraniam cis Borysthenem Poloni, ultra Borysthenem (Russiam Parvam) Russi tenerent; superque ea Russi etiam Smolenscium, Severiam et Tsernigoviam, provincias superioribus annis sub Michaële Feodorowitshio amissas, at hoc ipso bello armis receptas, possiderent ut suas. Sed neque futuris temporibus quietiores Cosaci, implorato

Turcarum patrocinio, novi inter Polonos et Turcas causa belli exstitere (1672), quo reliqua etiam pars Ucraniae cum Podolia amissa, recuperata tamen, neutra licet integra, per Szobieskium a. 1676.

CAPUT LXVII.

Joh. Casimiri regum Jagellonicorum in stirpe foeminea ultimi excessus. Foedum Wisnowickii, gloriosius aliquanto Szobieskii regnum, nec tamen per omnia fortunatum.

Proximo post inducias Andrussowienses anno (1668) Johannes Casimirus, regum Jagellonicorum stirpis foemineae ultimus, antequam fratri Uladislao IV in regia apud Polonos dignitate successisset, Jesuita et Cardinalis, regnum, ad quod gubernandum nec dotes nec animum habebat, sponte abdicavit, sacroque iterum muneri in Gallia initiatus, ibidem obiit a. 1672. Ei, post 7 mensium interregnum, cruentumque partium de regno certamen, praevalente proceribus vulgo nobilium, suffectus nobilis Polonus, quidam ex multis, Michaël Wisnowickius, ex antiquissima Ducum Lithvaniae prosapia oriundus ille quidem, sed ab re et familia destitutus, tenuitatisque suae adeo ipse conscius, ut obtrusam sibi potestatem regiam multis eundum lacrimis ac precibus, quamquam irritis, deprecatum legamus. Sub eo illa ipsa, quae adhuc restabat, regii imperii conculcata majestas, cum Turcis et Co-

Turcarum patrocinio, novi inter Polonos et Turcas causa belli exstitere (1672), quo reliqua etiam pars Ucraniae cum Podolia amissa, recuperata tamen, neutra licet integra, per Szobieskium a. 1676.

CAPUT LXVII.

Joh. Casimiri regum Jagellonicorum in stirpe foeminea ultimi excessus. Foedum Wisnowickii, gloriosius aliquanto Szobieskii regnum, nec tamen per omnia fortunatum.

Proximo post inducias Andrussowienses anno (1668) Johannes Casimirus, regum Jagellonicorum stirpis foemineae ultimus, antequam fratri Uladislao IV in regia apud Polonos dignitate successisset, Jesuita et Cardinalis, regnum, ad quod gubernandum nec dotes nec animum habebat, sponte abdicavit, sacroque iterum muneri in Gallia initiatus, ibidem obiit a. 1672. Ei, post 7 mensium interregnum, cruentumque partium de regno certamen, praevalente proceribus vulgo nobilium, suffectus nobilis Polonus, quidam ex multis, Michaël Wisnowickius, ex antiquissima Ducum Lithvaniae prosapia oriundus ille quidem, sed ab re et familia destitutus, tenuitatisque suae adeo ipse conscius, ut obtrusam sibi potestatem regiam multis eundum lacrimis ac precibus, quamquam irritis, deprecatum legamus. Sub eo illa ipsa, quae adhuc restabat, regii imperii conculcata majestas, cum Turcis et Co-

sacis infelicissime pugnatum, Podolia et Ucrania amissa, regnumque tributarium Turcico imperio (1672) factum. Abolevit ignominiam Johannes Szobieski, celeberrimus exercitus Polonici imperator, Turcis (1673 11 Nov.) postridie plane ejus diei, quo (10 Nov.) inertissimus rex decessit, ad Choczimum internecione caesis. Quae victoria tantum valuit, ut regnum, quo Condeum invictissimum illum belli ducem Gallum potiri Szobieskius cupiebat, Szobieskio ipsi, consensu omnium deferretur; Turcae autem Polonis non amplius pares, post iteratas clades, pace a. 1676 conciliata, tributum remitterent, Caminiecam, arcem Podoliae munitissimam, et unam tertiam Ucraniae nuper occupatae partem, restitutis duabus, retinerent. Quae ipsa tamen pars tertia Russis victoribus per Turcas concessa est a. 1680. Turcis Viennae imminentibus, bellum Szobieskius, hortatu Pontificis, renovavit, servataeque ab interitu civitatis nobilissimae gloriam sibi virtute paravit a 1683. Ardentius inde victoriam separatis ab Austria copiis persecutus, ad Párkán in Hungaria (prope Strigonium) ab hostibus circumventus, exercitu caeso, ipse vix supervenientis Caroli Lotharingici ope foedam mortem, foediorem deditionem effugit. Eam deinceps cladem victoria non simplici ultus, id tamen, quod potissimum cupiebat, ut Caminiecam eriperet

Tur-

sacis infelicissime pugnatum, Podolia et Ucrania amissa, regnumque tributarium Turcico imperio (1672) factum. Abolevit ignominiam Johannes Szobieski, celeberrimus exercitus Polonici imperator, Turcis (1673 11 Nov.) postridie plane ejus diei, quo (10 Nov.) inertissimus rex decessit, ad Choczimum internecione caesis. Quae victoria tantum valuit, ut regnum, quo Condeum invictissimum illum belli ducem Gallum potiri Szobieskius cupiebat, Szobieskio ipsi, consensu omnium deferretur; Turcae autem Polonis non amplius pares, post iteratas clades, pace a. 1676 conciliata, tributum remitterent, Caminiecam, arcem Podoliae munitissimam, et unam tertiam Ucraniae nuper occupatae partem, restitutis duabus, retinerent. Quae ipsa tamen pars tertia Russis victoribus per Turcas concessa est a. 1680. Turcis Viennae imminentibus, bellum Szobieskius, hortatu Pontificis, renovavit, servataeque ab interitu civitatis nobilissimae gloriam sibi virtute paravit a 1683. Ardentius inde victoriam separatis ab Austria copiis persecutus, ad Párkán in Hungaria (prope Strigonium) ab hostibus circumventus, exercitu caeso, ipse vix supervenientis Caroli Lotharingici ope foedam mortem, foediorem deditionem effugit. Eam deinceps cladem victoria non simplici ultus, id tamen, quod potissimum cupiebat, ut Caminiecam eriperet

Tur-

Turcis, consecutus non est, partim rebus ad oppugnandum necessariis destitutus, partim invidia popularium suorum conflictatus, qui forti alioquin sed pacis artium rudi viro condonare non poterant, arbitratu eum uxoris suae, originis Gallicae, neque ejus illustrissimae, gubernatum, regiamque omnem familiam, quaesitis sibi, quod lex vetabat, privatim opibus, ac coemptis undique bonis, locupletatam fuisse. Quod Szobieskio negavit, successori ejus (1696) Augusto II Saxoni tribuit fortuna, qui Caminiecam et partem Podoliae nondum restitutam a Turcis recuperavit a. 1699 Pace Carloviczensi.

CAPUT LXVIII.

Caroli XI adversa bello, prospera domi fortuna; infinitum in suos, sed salutare reipublicae imperium.

Carolo XI, quum patri Carolo X (1760) successisset, necdum quintum aetatis annum egressso, rempublicam, dum maturam regno aetatem regius puer assequeretur, quinque membrorum Senatus cum vidua regina gubernandam accepit. Sub eo pacatam foedere Havniensi et Olivensi Sveciam, *foedus triplex* cum Anglis et Hollandis, ad interpellandam Gallorum in Belgio-Hispanico victoriam initum (1668 vid. Cap. LV.) supra diximus. Laude haec digna, nec Sveciae magis, quam totius Europae rationibus accommodata: illud merito re-

Turcis, consecutus non est, partim rebus ad oppugnandum necessariis destitutus, partim invidia popularium suorum conflictatus, qui forti alioquin sed pacis artium rudi viro condonare non poterant, arbitratu eum uxoris suae, originis Gallicae, neque ejus illustrissimae, gubernatum, regiamque omnem familiam, quaesitis sibi, quod lex vetabat, privatim opibus, ac coemptis undique bonis, locupletatam fuisse. Quod Szobieskio negavit, successori ejus (1696) Augusto II Saxoni tribuit fortuna, qui Caminiecam et partem Podoliae nondum restitutam a Turcis recuperavit a. 1699 Pace Carloviczensi.

CAPUT LXVIII.

Caroli XI adversa bello, prospera domi fortuna; infinitum in suos, sed salutare reipublicae imperium.

Carolo XI, quum patri Carolo X (1760) successisset, necdum quintum aetatis annum egressо, rempublicam, dum maturam regno aetatem regius puer assequeretur, quinque membrorum Senatus cum vidua regina gubernandam accepit. Sub eo pacatam foedere Havniensi et Olivensi Sveciam, *foedus triplex* cum Anglis et Hollandis, ad interpellandam Gallorum in Belgio-Hispanico victoriam initum (1668 vid. Cap. LV.) supra diximus. Laude haec digna, nec Sveciae magis, quam totius Europae rationibus accommodata: illud merito re-

prehendendum, ac vitio senatui vertendum, quod reditus regni dissipavit, bona regia abalienavit, grave aes alienum contraxit, et, quo diuturnius imperium suum, aut, si id minus posset, peccata saltim impunitiora, inultamque injuriam redderet, educationem puero regi, qualem oportebat, non impertivit, regium imperium ita circumcidit, suam potentiam ita adauxit, ut in Svecia, non aliter ac in Polonia, in paucorum brevi dominationem concessura cuncta, et vergere ad interitum viderentur. Qui metus ut justior esset, procerum discidia fecere, dum alii foedus ac amicitiam cum Ludovico XIV jungendam, alii, post dissolutam foederis triplicis societatem, abstinendum prorsus bello judicarent. Prior cum vicisset sententia, et rex, susceptis ipse regni gubernaculis, ex foedere, quod non multo post cum Gallis pepigit, Electorem Brandenburgicum (1675) adortus esset, molestissimum sibi concivit bellum, in quo, super amissas veteres Svecorum bellicas laudes, parte quoque Pomeraniae ab Electore Brandenburgico spoliatus est, condita ad fanum S. Germani pace a. 1679. vid. Cap. LVI. Defunctus bello rex, ad internam reipublicae curam totum se contulit. Habitis igitur a. 1680 et 1682 Ordinum Comitiis, bona publica, partim a majoribus olim suis, partim per Senatum proxime abalienata, regno restituit, invisam vulgo,

prehendendum, ac vitio senatui vertendum, quod reditus regni dissipavit, bona regia abalienavit, grave aes alienum contraxit, et, quo diuturnius imperium suum, aut, si id minus posset, peccata saltim impunitiora, inultamque injuriam redderet, educationem puero regi, qualem oportebat, non impertivit, regium imperium ita circumcidit, suam potentiam ita adauxit, ut in Svecia, non aliter ac in Polonia, in paucorum brevi dominationem concessura cuncta, et vergere ad interitum viderentur. Qui metus ut justior esset, procerum discidia fecere, dum alii foedus ac amicitiam cum Ludovico XIV jungendam, alii, post dissolutam foederis triplicis societatem, abstinendum prorsus bello judicarent. Prior cum vicisset sententia, et rex, susceptis ipse regni gubernaculis, ex foedere, quod non multo post cum Gallis pepigit, Electorem Brandenburgicum (1675) adortus esset, molestissimum sibi concivit bellum, in quo, super amissas veteres Svecorum bellicas laudes, parte quoque Pomeraniae ab Electore Brandenburgico spoliatus est, condita ad fanum S. Germani pace a. 1679. vid. Cap. LVI. Defunctus bello rex, ad internam reipublicae curam totum se contulit. Habitis igitur a. 1680 et 1682 Ordinum Comitiis, bona publica, partim a majoribus olim suis, partim per Senatum proxime abalienata, regno restituit, invisam vulgo,

et plus justo evagatam senatu
mitibus circumscripsit, at reg
si minus lege, Ordinumque aucto
certe infinitum reddidit: quo sic u
salutaria regis in omni parte reip
stituta ii ipsi, qui veterem sub e
cae formam desiderabant, taciti lauda
tuus a. 1697 aerarium plenum, remp
quietam, regnum pacis bellique artibus florentissimum tradidit filio Carolo XII, terrori mox ac arbitro Europae Septentrionalis futuro.

CAPVT LXIX.

Theodoru I. summa rerum solus in Russia potitus.

Theodorus II, patri Alexeo non diu superstes, diem obiit supremum a. 1682, aetatis 25, hoc uno memorabilis, quod ad magistratus ac honores publicos, paucarum ante familiarum proprios, optimo cuique, origine discrimen non faciente, spem aditumque aperuit, eosdemque, cui videretur, conferendi jus ac potestatem sibi, successoribusque suis vindicavit. Moriens successionem imperii Petro, fratri juniori, 10 ipsos annos nato, sed magnae spei puero detulit, excluso Johanne, cui indoles, non aetas matura regno deerat. Neque se neglectum aegre ferebat Johannes, debilitatis suae conscius, at soror Sophia, quae se istius nomine regnaturam speraret, factione militum Strelitiorum, eo rem perduxit, ut

et plus justo evagatam senatus potentiam limitibus circumscripsit, at regium imperium, si minus lege, Ordinumque auctoritate, facto certe infinitum reddidit: quo sic usus est, ut salutaria regis in omni parte reipublicae instituta ii ipsi, qui veterem sub eo reipublicae formam desiderabant, taciti laudarent. Mortuus a. 1697 aerarium plenum, rempublicam quietam, regnum pacis bellique artibus florentissimum tradidit filio Carolo XII, terrori mox ac arbitro Europae Septentrionalis futuro.

CAPVT LXIX.

Petrus I. summa rerum solus in Russia potitus.

Theodorus II, patri Alexeo non diu superstes, diem obiit supremum a. 1682, aetatis 25, hoc uno memorabilis, quod ad magistratus ac honores publicos, paucarum ante familiarum proprios, optimo cuique, origine discrimen non faciente, spem aditumque aperuit, eosdemque, cui videretur, conferendi jus ac potestatem sibi, successoribusque suis vindicavit. Moriens successionem imperii Petro, fratri juniori, 10 ipsos annos nato, sed magnae spei puero detulit, excluso Johanne, cui indoles, non aetas matura regno deerat. Neque se neglectum aegre ferebat Johannes, debilitatis suae conscius, at soror Sophia, quae se istius nomine regnaturam speraret, factione militum Strelitiorum, eo rem perduxit, ut

cum fratre summum imperi-
ipsa potestatem haberet. Septi-
o tollere Petrum, et sola rape-
rincipatum aggressa, detecta con-
, in monasterium relegata, imperi-
ohanne sponte illud abdicante, Pe-
oncessum a. 1689. Ejus vitam, res-
in constituendo atque augendo impe-
rio virtutem ac sapientiam sequens liber ex-
plicabit.

Lapsus Operarum exstantiores:

pag. 81.	lin 19.	lege Gregorii VII.	pag. 155.	lin. 1.	lege utroque
— 82.	— 4.	— Clementis V.	— 157.	— 7.	— Conformitatis pro confirmatis
— 101.	— 17.	— abolendae	— 176.	— ult.	— quoniam
— 105.	— penult.	praesentiam	— 236.	— 13.	— 1598
— 110.	— 6.	— coepit	— 320.	— 24.	— 1645 victoria
— 110.	— 7.	— Constitutionum	— —	— 15.	— absumptis
— 111.	— 4.	— praesidia			
— —	— 16.	— Romanae			

reliqua minoris momenti peccata emendabit facile Lector Benevolus.

Expeditum ex Officio Rev. Librorum
Budae 26-a Oct. 1826.

Omissis deletis admittitur ad imprimendum.

Antonius Nagy mpr.
Libror. ad E. C. R. L. Censor
et Revisor.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

Petrus divisum cum fratre summum imperium, vicariam ipsa potestatem haberet. Septimo post anno tollere Petrum, et sola rapere ad se principatum aggressa, detecta conspiratione, in monasterium relegata, imperiumque, Johanne sponte illud abdicante, Petro soli concessum a. 1689. Ejus vitam, resgestas, in constituendo atque augendo imperio virtutem ac sapientiam sequens liber explicabit.

Lapsus Operarum exstantiores:

pag. 81.	lin 19.	lege Gregorii VII.	pag. 155.	lin. 1.	lege utroque
— 82.	— 4.	— Clementis V.	— 157.	— 7.	— Conformitatis pro confirmatis
— 101.	— 17.	— abolendae	— 176.	— ult.	— quoniam
— 105.	— penult.	praesentiam	— 236.	— 13.	— 1598
— 110.	— 6.	— coepit	— 320.	— 24.	— 1645 victoria
— 110.	— 7.	— Constitutionum	— — —	— 15.	— absumptis
— 111.	— 4.	— praesidia			
— —	— 16.	— Romanae			

reliqua minoris momenti peccata emendabit facile Lector Benevolus.

Expeditum ex Officio Rev. Librorum
Budae 26-a Oct. 1826.

Omissis deletis admittitur ad imprimendum.

Antonius Nagy mpr.
Libror. ad E. C. R. L. Censor
et Revisor.

DEBRECZENI EGYETEMI KÖNYVTÁR